

DOMINICI GULIELMINI

Philosophi, & Medici Bononiensis, in PATAVINO Gymnasio
olim Primarii Medicinæ Theoricæ Professoris

COMMENTARIA

In Primam Aphorismorum HIPPOCRATIS Sectionem,
A JOSEPHO FERDINANDO FILIO

Philosophiæ, & Medicinæ Doctore Collegiato, & in Patrio Gymnasio
Publico Medicinæ, & Anatomes Professore

Nonnullis explanationibus locupletata, & defcientium aucta.


PRÆMITTUNTUR

PRÆLECTIONES TRES

IN IDEM ARGUMENTUM


DE EODEM DOMINICO

In supradicto Gymnasio habitæ.



BONONIÆ MDCCLXVIII.

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.
Superiorum Permissu.



REVISED
CONSTITUTIONAL

OF THE STATE OF NEW YORK
AS AMENDED BY THE CONSTITUTIONAL CONVENTION OF 1938

COMMENTARY

BY
THE
COMMISSIONERS OF THE STATE ARCHIVES
AND
THE
OFFICE OF THE ATTORNEY GENERAL

THE
OFFICE OF THE ATTORNEY GENERAL

ALBANY, N. Y.



1938

PRINTED AND BOUND BY THE STATE OF NEW YORK
AT THE OFFICE OF THE STATE ARCHIVES
ALBANY, N. Y.

Illustrissimis, & Excellentissimis Patribus

3

COLLEGII MEDICINÆ BONONIÆ.

JOSEPH FERDINANDUS GULIELMINUS

Felicitatem precatur.



Uæ in publicam lucem prodeunt super primam Aphorismorum Hippocratis Sectionem Commentaria, partim Dominici Parentis mei, partim mea, nemini æquius commendata fore censeo, quam Vobis, Illustrissimi, & Excellentissimi Patres, qui-

4
bus cum adolescentes Doctoralem Lauream in al-
mo hoc nostro Collegio suscipere cupientibus unum
ex eisdem Aphorismis explanandum assignare mos sit,
occasione eorundem ad medicam facultatem promo-
vendum, qualescunque hos tum paternos, tum no-
stros labores, non dicam vestro commodo adhibere
(neque enim tantum audeo) sed meliores redditos
in vestrum usum convertere non infrequenter da-
tum erit. Hæc quidem ratio, etsi non prorsus sper-
nenda, non illa tamen est, qua potissimum addu-
car, ut Commentaria hæc Vobis consecrata deside-
rem: Est vero maxima, qua me semper cumula-
stis, humanitas. Voluistis enim vero me in cele-
berrimum vestrum cœtum cooptatum, & meam
non raro sententiam nedum inquirere, sed quando-
que etiam excipere non dedignamini. Quod si tam
singulari beneficiorum præstantia me decoratum sen-
tio, æquum profecto erat, ut grati animi mei signifi-
catio, qualiscunque tandem ea sit, publica evade-
ret. Excipite ergo mea hæc, forte levia, ea qua so-
letis animi magnitudine. Ego, ut Patriæ splendor, &
Medicinæ incrementum, & quidem maxime, per Vos
obveniat, plurimos annos omni felicitate cumulos
Vobis auguratus, tum sempiternam beneficiorum re-
cordationem, tum diligentissimam operæ meæ sedu-
litate Vobis polliceor, & spondeo. Valete.

LECTOR HUMANISSIME.



Ogitanti mihi de generali Dominici Parentis mei operum impressione posthumorum locupletata, ideoque ejus adversaria pervolventi, inter cetera sub oculos occurrere Lectiones Patavii habitæ, quibus ter Hippocratis primæ sectionis Aphorismos interpretari aggressus est. Sed quoniam primo anno Aphorismis intermiscuit tractatus de purgatione, de plethora, & de sanguinis missione, quos non multo ab hoc tempore [ut spero] cum ceteris suis operibus habebis; reliquis vero duobus nonnulla alia breviora quidem, præterea aliis occupationibus distentus, potissimum vero fluminum visitationibus, ad quas persæpe a Serenissima Venetæ Republica, nec infrequenter ab aliis Principibus advocatus erat, inceptum opus nunquam potuit ad finem perducere; factum idcirco est, ut tredecim primos tantum Aphorismos explana-verit. Cum itaque viderem ego inter quadringentos, & decem Aphorismos, qui universum hoc Hippocratis opus constituunt, vix dimidium primæ sectionis apud me extare ex septem, in quas idem communiter dividitur, quarumque ea omnium minima est, de prima saltem sectione complenda deliberavi, eisdem principis, quibus ipse usus fuerat, eisdemque interpretationis vestigiis, quæ suo monstravit exemplo, quantum in me erat, insistendo.

Hæc igitur Commentaria, quæ generalis operum Dominici impressionis complementum veluti, aut appendix esse poterunt, tibi nunc ante omnia trado, humanissime Lector, eaque, si de primis tredecim sermo sit, ex Parentis Lectionibus excerpfi, nonnullisque hîc, atque illic explicationibus locupletavi, ea adolescentium captui accommodatiora redditurus; ceteros vero duodecim Aphorismos, quibus prima sectio clauditur, qua potui perspicuitate, & doctrinæ cum primis uniformitate ipse addidi.

At vero quæ Commentaria in lectionum formam a Dominico conscripta fuerunt, in aliam formam mihi esse vertenda judicavi, scilicet in breves expositiones, atque in separatas adnotationes, quibus simul & semel & Aphorismus, & ejusdem expositio illustraretur: Id autem in eum finem feci, ut eorum commodo, & utilitati pro viribus inservirem,

qui

qui apud nos in medica facultate Lauream consequi concupiscunt: Nee forte frustratus erit labor pro illis quoque, qui alienis in Lyceis ad eundem finem contendunt; scio namque alias haberi Universitates, quæ nostrum morem retinentes, eandem primam Aphorismorum Hippocratis sectionem Candidatis suis explanandam tradere decreverunt; alias quoque ex hac prima sectione, tumque ex secunda, & forte ex aliis selectos nonnullos assignare.


Te igitur enixe rogo, humanissime Lector, ut hæc benigne excipias, si quid in ipsis repereris, quod in tuum usum possis traducere; te vero potissimum, qui vel Magister adolescentes sumis ad medicam acquirendam Lauream instituendos, vel Discipulus in eundem finem in Hippocratis Aphorismis cupis institui. Erit primo fortasse quod addere, quod explanare, & unde ad docendum occasionem arripere queas; erit secundo quod percipias, & unde supellectilem haurias, ut ni omnes [quod assequi nunquam poterimus] plurimas certe difficultates, ex illis saltem, quæ circumferri solent, non eludas solum, sed etiam prosternas. Ego mebercle curavi tanti Auctoris dogmata ad veritatis incudem expendere, tutissima præcepta efferre, & inconcussas adolescentibus regulas præbere. Quod si in interpretationibus nonnihil sæpe ab aliis recessi, id tribuas, velim, non novitatis desiderio, sed veritatis amori, quam mihi præ cæteris proposui, ratus eas fore etiam ad mentem Hippocratis, cum hic, ut judico, Aphorismos ab experientia deduxerit, quod idem est, ac dicere, ad veritatem revelandam direxerit.

Premisi Commentariis tres in Patavino Lyceo a Dominico habitas super eisdem Aphorismis Prælectiones, quæ ut Prolegomenon loco stare, ita vero vel maxime inservire poterunt ad dignoscendum quinam fuerit scopus, quem in Aphorismis Hippocratis interpretatione ditandis ipse sibi proposuit.

Non te diutius detinere volo, Lector humanissime. Excipe benigne quæ tibi trado, & cogites velim, immo obsecro, obtestorque, me nihil magis in animo habuisse, quam veritatem inquirere, & sectari, id autem præstando, studiosæ juventuti me, quam maxime fieri potuit, utilem præbere. Vale.

PRÆLECTIONES A DOMINICO GULIELMINO

Habitæ in Gymnasio Patavino.



PRÆLECTIO PRIMA

De legitima Commentationum medicarum methodo.



Uicunque Hippocratis Aphorismorum, vel ex publico subfello, vel evulgatis scriptis interpretationem aggrediuntur, licet inter exponendum diversas omnino vias arripiant, id tamen omnes habent commune, ut nacti a titulo Libri occasionem, Prolegomena nescio quæ cæteris anteponant, quibus de Opere, de Doctrinæ genere, & utilitate, de Auctore, ejusque intentione, & similibus peculiarem ineant tractationem.

Id ipsum & a me fortasse expectabit nonnemo vestrum, Auditores, putans me, in hac prima saltem medicæ provinciæ administratione, a majorum exemplis non esse declinaturum, quæ si sequar, cum pluries calcatis insistenti vestigiis ampla semper, & nunquam intricata semita pateat, commissum mihi stadium omnino feliciter, & nullo pene labore fuerim confecturus. Hoc & ego probe perspicio, neque sane alii, quam mihi repudianda fuisset tum in prima hac exercitatione, quæ præliminaris esse consuevit, tum in subsequentibus cæteris ea operis facilitas, quam offert copiosa materia a Commentatoribus in suis super Aphorismos enarrationibus liberaliter congesta, in quorum diversis interpretationibus tantummodo referendis annum integrum, si ea mens fuisset, impendere potuissem.

Veruntamen ut ab hac, quantumvis usitata, profitendi methodo quantum possem abstinerem, non unica ratio persuasit. Si enim costam, recoctam, que tot vicibus, & usque ad nauseam, crambem vobis, delicatulis alioquin, & ut sentio solidioris doctrinæ cupidus exhibuissem, quis mihi cavisset, ne saryricus aliquis statim mihi obruderet illud Juvenalis:

Hæc & similia

Frontonis Platani, convulsæque marmoræ clamant

Semper, & assiduo ruptæ Lectore columnæ?

& quidem jure merito; quippe quis vestrum nescit, Hippocratem ex Asclepiadarum familia oriundum, paternum genus ab Apolline, & Æsculapio, maternum ab Hercule deduxisse? Heraclidis, & Praxiteæ filium, ideoque sui nominis in ea familia secundum, patria Coum, primo octuagesimæ Olympiadis anno natum, fatis occubuisse suæ ætatis quarto supra centesimum, artisque medi-

medicæ fama adeo inclaruisse, ut ante ipsum neminem, nec post parem fuerit consecutus? Hunc auctorem fuisse libri, qui Aphorismorum inscribitur, & scuti neminem, ita nec vos latet, fatis id prodente phrasis brevitate, & majestate, dictorum maturitate, & gravitate, quin & sententiarum multiplicitate, quibus indiciis legitimi ejus Libri a spuris discriminantur.

Noctis etiam procul dubio, Aphorismorum nomine venire breves sententias, plurimo tamen, ut ita dicam, spiritu turgidas, nulla falsitatis labe notatas, nullius ordinis, ideoque nullius inter se connexionis indigas; compendiosam ideo esse Scientiarum, & Artium per Aphorismos tradendi methodum, sed non sine aliqua obscuritate, quæ brevitatis soboles est, utramque vero in Aphorismis concinnandis ita temperari, ut nimia brevitatis tenebras non ingerat insuperabiles, quibus semel per convenientem explicationem discussis, neque ob id ablata ab Aphorismo sermonis brevitate, memoriae succurratur, quam paucis gravatam esse sat est, ut multorum excitet reminiscentiam. Plura etiam, & plura alia hujus farinae vel apud Auctores lectitastis, vel a Professoribus audivistis, quibus & fatis vos eruditos judico, nec minus cupiditate accensos in tam utile, tamque nobile studium incumbendi.

Si ergo hæc omnia vobis diu cognita sunt, nulla subest ratio, cur in iis recudendis vos diutius morer, curve suaforia oratione nitar vestros ita disponere animos, ut cum Svida Aphorismorum opus supra humanæ fortis conditionem attolli credatis.

Sed neque id finere videbatur ratio instituti, quippe cum aphoristica methodus brevitati simul, & veritati præ cæteris studens nihil admittat, quod devium, nihil quod superfluum, nihil quod ad veritatem exactum non sit, quo animo aliorum indulgens exemplis in præliminaribus nihil ad Aphorismorum intelligentiam, immo nihil ad ipsam medendi artem conferentibus tempus, & operam trivissem? Qua fronte Hippocratem, veluti Medicinæ aliquod numen fallere, & falli nescium, ut inquit Macrobius, & veluti ex Tripode fundens oracula, per jactantiam, aut ostentationem (quod nonnulli facient) pronus adorassem? Quo veritatis caractere sacris litteris libros Hippocratis quasi comparassem, singulisque eorum apicibus infallibilem veritatem, mysteria, sensusque figuratos adscripsissem? Hyperbolis hisce omnino impar est institutum aphoristicum, neque sinceritas patitur, ut Auditoribus nostris tam enormiter imponamus. Hippocratem scimus profundæ sapientiæ, & spectatæ prudentiæ Virum fuisse, quin immo ea morum honestate præditum, ut a fallendi animo multis abesset parasangis. Ingenuitatem quidem in ejus operibus plurimam reperimus, infallibilitatem nullam; cum enim & fallere, & falli posset, ut cæteri homines, mentiri tamen non voluit, quippe qui unico veritatis amore ductus, errores non semel suos confessus est, qua de re a Celso, & Quintiliano plurimum commendatus.

Præterea cum is ego sim, qui in Commentatorum pluribus & inanitate, & loquacitate, & oscitantiam, & partium studium, vitia si quæ sunt Artibus infensissima, quotidie increpem, an non in eadem vel ipso professionis meæ vestibulo, ut vulgo Expositorum morem gererem, turpiter labi debueram? Non utique, sed iis me continere limitibus, quibus alios coercitos maluissem, quibusque Galenum ipsum se continuisse video, quem sane nemo deficientis aut eruditionis, aut eloquentiæ reum accusabit.

Jam vero si aliorum consilia improbando, si meum excusando eo me deventum intelligo, Auditores, ut sententiam meam de legitima commentatio-

tionum medicarum methodo teneat aperire, quod utique præstare non renuam, si quidquid in hoc argumentum prolaturus sum, ut consuetorum Prolegomenon loco sit, a vestra obtinero benignitate. Id autem tanto libentius exequar, quanto majorem in hoc themate relucere video utilitatem, quam in vulgatis illis præliminaribus, quæ etiam si eruditionem aliquam medicam sapiant, utilitatem tamen referunt nullam; Refert autem recte commentandi methodi inquisitio, a qua nisi Auctorum plurimi aberrassent, nec præposteris interpretationibus doctrinam inquinassent, nec falsis dogmatibus corripissent.

Ut igitur brevier hoc pensum absolvam, illud in confesso esse apud omnes reor, sicuti cæterarum, ita medicarum expositionum finem non alium esse, quam perceptionem claram, integram, & dilucidam eorum omnium, quæ ab aliquo Auctore, præsertim longioris ævi, exarata reperiuntur; ideoque commentationes tunc esse necessarias, quoties Auctoris sensus non cuilibet legentium obviis, idest obscurus est. Obscuritas ergo occasio commentationum medicarum est, cui ut facilius opportuna apponi possint remedia, præstat varias ejus causas, seu fontes attingere, quos septenario numero circumscribo; sunt autem hi (1) Phrasis inassueta, (2) Amphibologia, (3) Oratio figurata, (4) Breviloquium, (5) Multiloquium, (6) Contradictio, (7) Textus corruptus, seu lacunæ, quæ omnes intrinsecæ sunt causæ obscuritatis. Cæterum aliæ etiam adsunt extrinsecæ, quæ non in textu, sed in legente reperiuntur, quas enumerabimus, postquam prædictas omnes examinaverimus.

Primum igitur involutos alicujus Auctoris sensus potest efficere Phrasis inassueta, vel quia peregrina, vel quia obsoleta; peregrina quidem, si alia a nostro idiomate fuerit, & non fideliter, aut tantum verbo tenus translata; sæpius etenim evenit, ut non facile unius idiomatis expressiones alio repræsententur. Hæc interpretem requirit, qui in utraque lingua supra vulgus sapiat, quique non, ut ajunt, verba verbis reddat, sed sententias sententiis, retentâ significatione, & vi expressionis. Præterea quia qualibet materia, doctrina, aut ars propria habet vocabula, proprias item loquendi formulas, non satis est, Interpretem linguarum notitia præcellere, nisi & materiæ, de qua loquitur vertendus textus, perfectam cognitionem obtinuerit. Sic pro philosophicis libris ab uno in alterum idioma transferendis Philosophi, pro medicis Medici utiliter adhibentur. Obsoleta vero phrasis, quæ a diversitate præsentis, & antiquorum temporum originem trahit, cum consistat vel in antiquatis vocabulis, vel in dicendi formulis a communi usu relegatis, Grammaticum requirunt simul, & Medicum & has, & illa explicantem, & in assuetas commutantem. Sic Erotianus in Lexico, quod notis illustravit Bartholomæus Eustachius, & Galenus libro peculiari, quem Linguarum inscripsit, obsoletas Hippocratis voces explanare aggressi sunt. Huic tamen difficultati, & obscuritati tollendæ non est quod plurimum infudemus; nostris enim temporibus Hippocratis præsertim Interpretes habemus omnibus numeris absolutissimos, præ cæteris vero Cornarium, Lindenium, Duretum, Heurnium, & qui omnium ad instar est Anurium Foesium, qui etiam OEconomiam omnium verborum Hippocratis adornavit.

Secundus fons obscuritatis est Amphibologia, idest anceps, & dubia locutio, quæ potest esse aut in verbis, aut in syntaxi; in verbis quidem cum vocabulis occurrimus multiplici gaudentibus significatione, in syntaxi vero, cum vocabula vocabulis ita inserta sunt, ut ad diversa possint referri, & uni adjuncta, vel relata unum, alteri alterum, & quandoque oppositum significant.

Affinis est tertia obscuritatis causa Oratio figurata, ut metaphorica, ironica, allegorica, antonomastica, proverbialis, & generaliter tropologica; etenim cum quælibet hujus generis oratio duas saltem habeat significationes, propriam unam, a figura ortam alteram, fieri potest, ut anceps hæreat animus, num propriæ, an figuratæ significationi acquiescendum sit; quocirca cum figurata oratio sæpe numero in amphibologiam transeat, vel saltem cum ea communes habeat effectus, ideo necesse est, ut utriusque etiam sint communia remedia.

Quotiescunque igitur diversi sensus ejusdem telam sustinent orationis, non ad libitum quicumque placuerit seligendus est, sed is præ cæteris ateponendus, qui pluribus, & potioribus criteriis notam retulerit legitimitatis. Primum est plana, facilis, & naturalis, idest nullo modo affectata explicatio, non enim ulla vis verbis est inferenda, sed sinendum, ut eam sui significati speciem menti imprimant, quam naturaliter, seu ex communi loquendi consuetudine imprimere solent; hinc, nisi quid summi momenti obset, propria significatio figuratæ semper est præferenda; plana vero, & facilis duriori; distortæ vero semper rejiciendæ. Secundo contextus in tota oratione, idest comparatio obscuri textus cum antecedentibus, & subsequenibus, præsertim si hi, & illi plures non patiantur expositiones. Non enim videtur e dignitate alicujus Auctoris, præsertim magni nominis, esse, ut sine connexione, sine ordine, sine orationis filo fuerit locutus. Quoties igitur sermonis unitas servari possit, ea scindenda non est, ideoque quæ interpretatio orationis filum, & continuitatem maxime sustinuerit, illa meo judicio potior censenda est, quæ vero disruperit abjicienda. Tertio comparatio ad Auctoris intentum in universo Tractatu, seu ad libri argumentum, qui idcirco integer legendus, & relegendus est, priusquam difficiliorum locorum explicationem aggrediamur. Cum enim non omnia ambigua esse possint, sed eorum major pars mentem Auctoris dilucide referat, facile libri materiem, & scribentis intentionem intelligemus; idque tanto facilius continget, si ejus tractatus, ut monet Alstædius, analytria instituitur, ejus partes præcipuas unam ab altera distinguendo, earum connexionem, & ordinem indagando, & singularum structuram particularem examinando. Cum igitur nemo præsupponatur contra proprium intentum loqui, sed cohærenter, aut saltem non contra; idcirco in tollendis amphibologiis non levem operam præstabit comparatio ancipitis sensus ad Auctoris perfectam intentionem, quæ idcirco genuini significatus rectissimus judex existet. Quartum criterium est gravitas sententiarum in Auctore gravi, & e contra, & generaliter comparatio dicti ad Auctoris ingenium; sicuti enim sua quemque voluptas trahit, & ex animo, quoties licet, vivimus, ita & in scribendo proprium quisque modum servamus. Hinc raro, aut nunquam gravis Auctor ad scurrilitatem transit, scurrilis ad gravitatem, neque supra mediocritatem assurgit qui humilis esse consuevit, aut infra mediocritatem labitur qui semel voluit esse sublimis: Gravis igitur sensus in Auctore gravi locum habeat potioem. In hoc tamen ne nimis sumus oportet, sæpius enim evenit, ut sententiarum gravitatem affectantes, violentiam sermoni inferamus, quod vitium Commentatorum pluribus familiarè est, suo muneri se functos non autumantibus, nisi ex textu interpretando tot oracula extorserint, quot verba. Quintum criterium est veritas. Si enim plures ejusdem orationis sensus existant, alter veritatem continens perfectam, alii vero aut dubio, aut falsitate laborantes, quid ni, si reliqua consenserint, præsumamus Auctorem potius verum, quam falsum dicere voluisse?

Sane

Sane mendacium probato Auctori incurrere iniquum est, cum verus sensus æquaratione potest occurrere. Hic igitur reliquis præponendus. Sextum tandem criterium est comparatio dicti ad reliquam ejusdem Auctoris doctrinam; sicuti enim ex ingenio, ut supra dictum est, quisque loquitur, ita ex iis, quæ novit, dicere consuevit, præsertim si alicui sectæ addictus, ad ejus principia cunctas direxerit cogitationes; hinc fit, ut Auctores potius quam vera, suis opinionibus coherentia proferre malint. In significationum igitur ambiguitate ea semper menti Auctoris conformior erit, cui cætera ejus dicta magis favere videbuntur. Sex hæc criteriis, modo uno, modo altero, modo pluribus, amphibologiæ vitio textus liberatur, sive ea in verbis consistat, sive in syntaxi, sive in figurata oratione; huic tamen evolvendæ quandoque satis non sunt omnia prædicta criteria simul conjuncta, præcipue si ex industria scribentis verus sensus delitescat, quod apud Chymicos familiare est, nova, & nunquam usitata nomina rebus antiquis tribuentes, & prolixiori allegoria rem obtenebrantes. In his autem, & his similibus commentandis nemini auctor sum ut oleum, & operam perdat, nisi constet indubie, quod raro accidit, dignum aliquid sub allegoriarum larva occultari; dignum, inquam, quod tota animi contentione tentetur. Plerumque enim eo studio concinnatæ sunt allegoricæ orationes, idem dixeris de ænigmaticis, ut vel imperscrutabiles sint, vel, quod verius, ad mentiendam supra vulgus sapientiam efficiat; utroque autem nomine plurium errorum seminaria evadunt, ut prætet, eas suis Auctoribus intactas relinquere, in quos quadrat vulgatum illud = *Non vult intelligi ne legatur quidem*. Sed redeamus ad fontes obscuritatis.

Horum igitur quartus est Oratio concisa, sive Breviloquium, quod consistit in parca expressione propriæ sententiæ; hoc autem tripliciter fieri potest, aut reticendo aliquid necessarium, aut utendo verbis prægnantibus, quorumvis non omnibus nota est, aut indefinite loquendo. Vitium hoc in Hippocratis operibus, non omnibus quidem, nec ubique, sed in aliquibus tantum, & alicubi occurrit; vitium tamen Hippocrati non ausim tribuere, quippe qui laconica usus phrasi ejus temporibus consueta non carebat intelligente; malo autem nostro accidit, ut obsoleto contracti sermonis usu, & explicationibus assueti, quæ illius saporis sunt, tanquam palato ingrata, stomacho gravia quodammodo renuamus. His tamen ut amissam restituamus gratiam, nonnulla tentanda occurrunt præsidia. Cum enim laconismus non sine regula ex usu esset, plura identidem subintelligi necesse erat (verba præcipue, & conjunctiones) quæ ex habitu, & consuetudine supplebantur ab audientibus. Id ipsum & nos facere oportet, considerando nunc vocabulorum ad invicem connexionem, nunc naturalem consecutionem rerum, nunc antithesim, & repugnantiam omnium, ex quibus nonnunquam in aliqua particula quod supplendum est occurrit: cognito autem unius particulæ sensu, si genuinus sit, viam parabit reliquarum intellectui, & si in unum colliment aut subjectum, aut finem, si diversa orationis membra invicem cohæreant, & reliqua præferant veri sensus criteria, quæ pro amphibologia tollenda adduximus (est quippe brevitatis amphibologiæ causa quædam) non modica erunt rectæ expositionis indicia. Facilius tollitur quæ ex prægnantibus verbis oritur obscuritas, si videlicet verba singula pendentes tum propria, tum figurata, ea ad invicem conferamus, ex quibus quæ e re esse possunt, quæ abs re dilucide apparebit. In hoc autem cauti sumus oportet, ne verbis, aut Auctori plusquam par est concedamus; facile enim ad mysteria, ad superlaciones, & ad vanitates fingendas deducimur. Indefinita

tandem locutioni occuremus, si propositionum veritatem observabimus, an universaliter, an particulariter, & sub quibus conditionibus veræ sint animadvertentes, atque omnia pro veritate interpretantes. Sic paraphrasis fiet, quæ, uti remedia solent, ex adverso breviloquio opponetur. Nullum autem hujus præstantius adminiculum est, quam frequens, & sæpius repetita lectio operum laconismo utentium; ex hac enim usus comparatur & præctica intelligendi mediocriter obscura, & dein obscurissima.

Ad Multiloquium quintum obscuritatis fontem examinandum jam accedamus. Hujus autem nomine non intelligimus universaliter multis verbis conceptam orationem, cum ea ad explicationem, aut probationem rei comparata sunt; longa enim non sunt, ut inquit Martialis *quibus non est quod demere possis*, sed quidem verborum inofficiosa saraginem, & a recto tramite frequentia diverticula; quibus ex luxurie dicendi ita partes orationis distrahimus, ut ejus corpus dearticulatum veluti evadat, & elumbe, quandoque vero ita suam amittat figuram, ut neque finis dicentis, neque partis ad totum, neque ad invicem relatio conspici possit. His, nisi mera garrulitas, & ut inquit Petronius, *nisi levis tantum, & inanis sit sonus*, non difficulter occurreret per compendia, seu, ut vocant, epitomes, superflua scilicet, & aliena quælibet rescando; sic enim partes orationis ita contrahimus, ut recuperato earum mutuo nexu enervatum antea robur acquirant.

Sextus fons obscuritatis est Contradictio, quæ duplex est, altera in eadem periodo, aut saltem eodem contextu, altera in locis disparatis; prima verè esse non potest, sed tantummodo apparens, non enim probabile est quemquam memorem ejus, quod mox dixit, manifesta contradictione sese implicare voluisse, pugnantia ad invicem in eadem oratione miscendo, nisi omnino ex inconsiderantia sit, quæ in probato Auctore non est facile supponenda. Huic ergo conciliatio opportuna est, quæ fit distinguendo aut subjecta, aut causas, aut tempora, aut circumstantias, & generaliter ea omnia, quæ ad veram contradictionem exiguntur. Eodem pacto locorum disparatorum contradictiones in gratiam redeunt; sed in his non satis est distinxisse, nisi distinctionis veritas demonstretur; quocirca nimia scrupulositas in conciliationibus evitanda. Quid ni enim, exempli loco, Hippocrates aliud potuit sensisse juvenis, & nondum in Arte satis exercitatus, quod senex, & exercitator factus repudiaverit? Postremæ cogitationes prioribus derogant. Rari sunt Auctores, qui per totam ætatem conscribendis libris operam navaverint, quarum ultimi labores priorum errores non revelaverint, quos idcirco nonnulli data opera retractare aggressi sunt, aliis loco retractationis satis fuit aliter sensisse. Contrariæ idcirco in eodem Auctore sententiæ non semper concordiam exigunt, sed tunc solum, cum plana, facilis, & evidens est contrarietatis declinatio; tunc enim ea est conciliationis utilitas, ut ex ea casuum diversitas manifestetur, quibus quæ contrariæ videntur propositiones, simul, & semel verificentur. Cæterum eorum exempla imitanda non sunt, qui fatius ducunt, vim, quantumvis magnam, verbis inferre, sequæ, & sua ingenia anxie, & inutiliter torquere, quam contradictionem finire inconciliatam. Seligenda igitur potius inter pugnantibus propositiones illa, quæ verior videbitur; quid enim ad nos si Auctor diversa senserit, dummodo nos vera sentiamus?

Septimus, & ultimus fons obscuritatis est Textus corruptus, vel lacunæ; horum autem corrigendorum nulla apparet ratio, nisi antiquorum exemplarium inquisitio, eorumque ad ea, quæ præ manibus habemus, comparatio;

sic

fic enim textus plurimi deficientes, aut corrupti restituti sunt. Qui secus fecerit tentando, & divinando, rem aggredietur incertus, feliciter ne, an infelicitur intentum obtinuerit.

Hi omnes obscuritatis fontes, præter primum, & ultimum, aut ab Auctoris affectatione, aut ab ejus ingenio proficiuntur; cæterum non infrequenter etiam oritur non a Textu, sed a legente obscuritas, & quidem multipliciter.

Primum quidem propter ignorantiam materiæ, de qua agitur; sic libri medici Theologis, theologici Medicis, utrique Mathematicis, mathematici utrifque obscuri redduntur; idcirco rari sunt qui ex folis libris, & absque Præceptoris voce scientiæ alicujus, vel artis compotes fieri possint, & si fiant, non omnino perfecte, & absque æquivocatione.

Secundo. Id ipsum efficit ignorantia eorum, quæ ab Auctore inter scribendum supposita sunt tanquam obvia, quorumque ex post cognitio, aut memoria excidit.

Tertio. Eiusdem generis est oscitantia, & perfunctoria lectio, quibus æquivalet ingenii tarditas. Harum causa fit, ut plurima perperam intelligantur, aut nullo modo.

Quarto. Tandem opinionum præjudicia nos adducunt, ut credamus cuncta ad nostram opinionem dicta; his enim accidit quod suspiciosus, qui cum duos inter se mussitantes conspiciunt, eos de se loquentes judicant, omniaque, ut ait Terentius in Adelpho, *ad contumeliam accipiunt magis*.

Impedimenta hæc claritatis potius, quam causæ obscuritatis tollentur, si Expofitor convenienti ordine, ac methodo cuncta Auditores, aut Lectores suos antecedenter docuerit, quæ ad materiæ, de qua agitur, dilucidam intelligentiam facere videbuntur, si cuncta noverit, quæ ab Auctore antiquo suis temporibus fuerant supponenda, & sicuti noverit, ita & pro re nata exposuerit; si diligens fuerit, & accuratus in perpendendo textu, ejusque vero sensu erundo, sique conformiter ad Auctoris doctrinam exposuerit. Sic enim & Auditores ad intelligendum promptos, & sui similes, idest in legendo attentos, in interpretando subriles, in judicando æquos efficiet.

Atque his tota medicarum commentationum methodus, & ars comprehendendi mihi videtur, cujus leges si observemus, non facile fieri posse reor, ut quis in errorem labatur. Veruntamen cum non satis sit inoffenso pede stadium percurrere, nisi & meta conspiciatur, ad quam cursum dirigamus, præstat ideo de scopo ultimo medicarum expositionum pauca subjungere, immediatum enim esse intelligentiam sensuum supra demonstravimus; duplex autem omnino is esse videtur; alter ut Veterum, Primorum, & (ut habentur) summorum Artificum studio proficiamus, puram ex iis, tanquam a prima scaturigine doctrinam haurientes; alter ut quæ ipsis cognita fuere, ab iis, quæ ignota, aut non satis perspecta distinguamus; idque in eum finem, ut quibus Ars ditetur, quibus adhuc careat in propatulo sit, ne legitimam, perfectamque artem censes utamur spuria, & imperfecta, & ab inquisitione eorum, quæ desunt, abstineamus.

Ad hoc utrumque non satis est quid Hippocrates, quid Galenus senserit intellexisse; hoc enim ad eruditionem quidem pertinet, non ad artem, nisi constet, eorum præcepta, & doctrinam veritati coherere. Commentatoris ideo alterum munus est, ut perfectæ Auctoris sensu, illum severo examini subji-
ciat, probandum, si verus comperiat, si secus, reprobandum; inquireat præ-
terea,

terea, an veritatem habeat universalem, an vero limitandum sit dictum, ut a falsitate liberetur. Et quoniam non omnium veritas mortali nostræ conditioni satis intellecta esse potest, quæ hujusmodi sunt non ut falsa, sed ut dubia statuenda erunt, iis adjiciendo pro re nata majorem, aut minorem probabilitatem. Quandoque etiam evenit, ut propositiones veræ labili fundamento ab Aucto-ribus suis firmatæ sint, nil majus permittente eorum sæculorum sapientia: Harum, si potiores suggerat ætas nostra demonstrationes, ulterior confirmatio prætermittenda non est; sic suo cuilibet assignato pretio, fraudis, & fallaciæ periculum præcavetur, studiosorum utilitati consulitur, & via sternitur artis complemento. Veruntamen non omnibus datum est adire Corinthum.

Cum igitur duo sint Commentatorum munera, alterum explicatio obscuri sensus, alterum ejus expansio ad veritatem, nisi eorum claustris contineantur Commentatorum labores, alieni erunt ab instituto medico, & a fine commentationum; Hinc merito Galenus in 3. Epid. com. p. n. 4. Expositores quosdam deridet, qui cum Hippocratem in historiis referendis sæpius ædium mentionem habere observassent, quibus ægri inhabitabant, harum considerationem ita ad Artem facere censuerunt, ut sedulo inquirerent, cur in aliquibus locum taceat domicilii; Ad hæc an Silenus Platanonis ædes habitaverit, an Platanonis nomen per n, an per m Platanonis scribendum sit. Licet autem nugæ hæc nostra ætate in commentationibus medicis non occurrant, non desunt tamen superflua plura, & inutilia; quidquid enim ad praxim aliquo modo ordinatum non est, medicum non est, & nisi medicum in medica commentatione locum nequit habere, & si habeat, erit superfluum. Gravius peccant qui rectæ methodo opponuntur, ut sunt qui regulas interpretandi spernentes, falsis interpretationibus rem medicam deturpant, qui in asserenda veritate, omnibus, quæ exponunt, toti sunt, non alia quidem ratione moti, quam quod cum juraverint in verba Auctoris, his ad instar omnium demonstrationum est pythagoricum illud *ipse dixit*. Similiter ab errore immunes non sunt, qui ad proprias sententias, veras licet, Auctoris dicta pervecem trahunt, qui paradoxa, ubique proponunt, qui inutilibus quæstionibus cuncta confertiunt, qui omnia in dubium revocant nihil adstruentes, qui ad probandam Auctoris sententiam, ejusdem, aut aliorum dictis utuntur, quique re non satis perspecta, de omnibus definitivum judicium instituunt. Pessime autem omnium sese gerunt qui, ut Auctorem suo modo loquentem habeant, textus corrumpunt, & depravant.

Multis in his non sum, ne videar censoriam virgam in pravos Expositores contra meam consuetudinem fringere. Satis sit nobis legitimam exponendi methodum fusius inquisivisse, errores vero commentationum leviter tetigisse, illam ut in nostris hujus anni exercitationibus sequamur, hos ut vite-
mus.

Reliquum est, ut pro coronide quid vobis a me imposterum expectandum sit breviter aperiam. Legistis procul dubio in almi hujus Archilycei Professorum Albo Aphorismos Hippocratis ex præscripto mihi contigisse. Aphorismos igitur quotquot licuerit explicabo, eosque, quantum quidem ego sentio, juxta genuinam sui Auctoris mentem, quam ubi prænarratarum regularum ope attingerimus examinabimus, & si vera occurrerint quæ ab Hippocrate dicta sunt, iis calculum adjicientes, dilucidis, & a rei visceribus petitis rationibus comprobabimus. Vera autem fere omnia occurrent, utpote vel evidentissimis rationibus, vel observatione multiplici confirmata; ea enim, ut in sequenti exercitatione audietis, Hippocratis fuit mens in conscribendis Aphorismis, ut quæ
per

per totam suam ætatem verissima ipsi comperta sunt a reliquis sejungeret, & peculiari libro comprehenderet, quo fit, ut nunquam in Aphorismis falsa ubique occurrat sententia. His autem contenti non erimus. Sed cum professionis nostræ munus sit, Auditores theoreticam Medicinam docere, quod difficulter, contrahendo doctrinam ad unam Aphorismorum explicationem, præstare possimus, idcirco quoniam Hippocrates in prima sectione tria Artis medicæ potiora instrumenta proponit, Chirurgiam, Pharmaciã, & Diætã, ducta occasione ab Aphorismis secundo, tertio, & quarto, de purgatione, de sanguinis missione; & de diætandi ratione in morbis, peculiãres, plenãsq; tractationes instituemus, earum cuilibet subjungentes Aphorismos ad ipsã pertinentes. Ita & muneri meo simul; & utilitati vestræ consultum fore spero; conabor enim theoreticæ contemplationi practicã animadversiones ita copulare, ut hæ ab illis deducantur, quo semper magis constabit, totã praxim medicã nil aliud esse, quam theoreticæ Medicinæ ad casus particulãres applicationem. Adeste igitur animis, datã enim fidem in sequenti exercitatione aggrediar liberare.



PRÆLECTIO SECUNDA.

De præstantia, sive commodis, & incommodis Doctrinæ Aphoristica.

Cum primum hominum animos sciendi invasit desiderium (fuit autem tunc, cum esse cœpere) verosimile est, eos invicem sæpe numero percunctatos fuisse de iis, quæ non noverant, ut alter alterius scientiã doctior evaderet; quoniam vero pro diversa ingeniorum ratione non omnes eodem modo animi sui sensa explicare contingeret, sed alios facilius, alios difficilius, alios clarius, alios obscurius, alios parcius, alios plenius, alios brevius, alios fusius; facile est conjicere, animadvertum fuisse, id ex eo procedere, quod quædam loquendi formulæ, quædam eorum, quæ dicebantur, dispositiones, uno verbo quædam loquendi methodi cæteris præstarent, ut ab solutiorem redderent intelligentiam, ob idque magis satis facerent sciscitantium cupiditati.

Hanc diversitatem sicuti pronum erat intelligere in simplici usu sermonis, ita majorem apparuisse extra dubium est, ex quo ars inventa fuit scriptis mandandi ea cuncta, quæ quisque aut dicere posset, aut meditari; & præcipue ex quo Artes, & Scientiæ conscribi consuevere; quippe cum major attentio scriptioni, quam locutioni adhibeatur, majorque difficultas occurrat in explicandis, & ordine digerendis iis, quæ supra vulgares hominum ideas competunt, quam quæ consueti colloqui materiam componunt, opus etiam fuit, ut scriptorum ingenia acuerentur ad Artem inquirendam, qua quæ quisque dicere vellet & explicatius diceret, & ita, ut nullo, aut saltem minimo labore legentium mentem subirent, & memoriæ adhærerent.

Ortæ hinc methodorum diversitates, quæ adhuc magis multiplicatæ sunt, postquam constitit, posse quidem cujuscunque generis argumenta variis modis cunctis in eundem scopum collimantibus pertractari, sed non ita, ut penes omnes eadem eluceret claritas, quippe materiæ adsunt, de quibus determinata methodo convenientius agitur; quin immo profant ingenia, a quibus non omnes methodi eadem facilitate excipiuntur; nimirum hos delectat brevitatis, illos fusior oratio, alii similitudines, & exempla ad captum necessaria sunt, alii nudæ enuntiationes, & præcepta sufficiunt, alii perspicuitatem fastidiunt, & nisi teterrimam noctem ament, saltem in iis, quæ legunt, aut audiunt, crepera quadam, ut ita dicam, luce contenti sunt, & alii tandem cuncta sole meridiano clariora expetunt, & exposcunt.

Factum ideo, ut ab antiquissimis usque temporibus non omnes Auctores in eandem consenserint scribendi rationem, sive sit, quod quisque eadem methodo, qua sibi, aliis etiam posse satisfieri existimaverit, sive quod subjectorum differentia, aut diversus Auctorum scopus, aut certa diversorum temporum conditio, aut hominum, regionumque varii usus peculiare sibi adsciscerent tractationum formas; adeo ut suis unicuique Scriptori veluti character sit, quo singulorum opera a peritis apte possint discriminari.

Utunque sit, certum est, libros Hippocratis, Galeni, & Avicennæ, qui tanquam Artis nostræ medicæ majora lumina existimantur, adeo ab invicem in norma scribendi distare, ut non magis æthiops homo ab europæo distinguitur; nempe Hippocrates laconica brevitate continetur, Galenus laciniosa afficiat

tica eloquentia superbit, Avicennas vero omni seposito lepore sermonis totus in rebus est. Hippocrates observationi maxime fedit, nimium forte; Galenus ratiocinio; Avicennas eorum, qui ante ipsum scripserunt, auctoritati, adeo ut sicuti plurima congerit, ita paucissima revocet ad examen. Sic in Hippocrate raro distorum ordinem, & connexionem reperies, quæ in Galeno, & Avicenna relucet plurima, sed in Hippocrate facilius veritatem, quam in aliis; quippe Galenus falsis innixus principiis ab Aristotele mutuatis, perspicacitatem ingenii, & doctrinam, qua pollebat, singularem, non suo, sed suorum temporum vitio prostituit, & Avicennas sicuti undique medicas doctrinas conquirit, easque qua theoreticas, qua practicas digessit in ordinem, ita nullo delectu suffarcinavit, adeo ut vera falsis, falsa veris ubique remisceat.

Cum igitur tam diversæ sint traditivæ methodi, perspicuum est, cuilibet aut Scriptori, aut Professori onus incumbere eam seligendi, quæ caterarum omnium ipsius intentioni accommodatissima existat; licet enim usus invaluerit eam sequendi, in quam Auctores explicandi incubuere, nil tamen vetat quo minus, si melior occurrat, aliam amplectamur. Siquidem cum præcipuum Profitentium munus sit, ut Auditorum & commodo, & utilitati adlaborent, utilitati quidem satis sit, si propositæ ad explicandum doctrinæ non tantum ad mentem Auctorum, quantum ad leges veritatis exponantur; commodo autem, si facillima & ad captum, & ad evidentiam, & ad recordationem methodo utamur. Veruntamen sicuti sine rationabili de causâ a placitis Prædecessorum nostrorum abire religio est, ita neque facile immutandæ sunt methodi, nisi ratio extet non levis, cur id audeamus.

Cum igitur hoc anno post exactum triennale cyclum recurat ex hoc subfello explicanda aphoristica doctrina, & in hoc agendo nonnihil a vestigiis Hippocratis recedere statuerimus, facile quidem intelligere est, id a me nonnisi intuitu vestræ utilitatis meditatam fuisse, sed non idcirco immutationis causâ, & ratio sufficienter apparebit.

Utramque igitur ante omnia docendi estis; docebimini autem, & quidem perspicue, si de methodi aphoristica commodis, & incommodis præfandum assumamus; hanc enim enkeirifim eo præcipue sine aggredimur, ut quæ utilitate præstare comperiemus retineamus, quæ vero incommoditate laborare aut removeamus, aut illis congrua adhibeamus præsidia; sic enim datum erit perspicere causam immutationis, & summatim vobis exponere optimam methodum, qua & breviter, & dilucide, & plene ad doctrinæ aphoristica cognitionem Auditores nostri possint perducî.

Ut igitur opus hoc qua decet claritate exequamur, libet cum Verulamio aphoristicam methodum cum doctrina methodica conferre; cum enim opposita sit utriusque ratio, facile apparebit quid sit aphoristica, si methodicæ natura prius fuerit revelata. Methodica igitur doctrina, quæ & magistralis appellatur, illa est, quæ certo assumpto ordine, nunc synthetico, nunc analytico, nunc definitivo, nunc divisivo, aut alio quocunque, totas vires adhibet, ut quæcunque ad subjectum scientiæ pertinent explicentur, determinanturque; hinc per paraphrases, exempla, similitudines obscura dilucidat, quæstiones proponit, resolvitque, & emergentes theses per cuiuscunque generis probationes, sive directas, sive conversas, sive intrinsecas, sive extrinsecas, sive alterius cuiuscunque ordinis confirmat. Ad hæc cuncta apte connectit, appositisissime distribuit, & ad minimas usque differentias prosequitur, lucemque undequaque mutuata a singulis in singulas partes & vibrat, & reflectit; ita ut, dum vi-

cōfuetudinario splendore omnia illustrantur, scientia ipsa veluti completa, & solemnis emergat.

Hæc methodus sicuti usitatissima, ita & summo plausu semper a Litterarum Republica fuit excepta, & sane non sine ratione; plurima siquidem præferret commoda, præcipue si naturalis, & perspicuus ordo dicendis addatur, sique probationes ejus sint generis, quæ instituendorum animos de veritate doceant, non vero apparenti suasionem demulceant.

Siquidem doctrina methodica multa claritate etiam obscura illustrantur; adeo ut nil forte sit tam abstrusum, quod hac methodo ita explicari non possit, ut vel mediocre ingenium ad illud capeñdum idoneum non reddatur. Quis enim præmissa clara definitione ejus, quod tractandum assumitur, subiectaque divisione ejus in omnes suas partes, aut species, ut quæ ab invicem quoquomodo diversa sunt invicem non confundantur, sed singula juxta convenientias, aut discrimina cognoscantur, facile non deveniet in plenam notitiam ejus subiecti, de quo scientia concinnatur? Quis ex naturali ordine non didicerit a simplicibus sensim procedere ad compositiora, a clarioribus ad obscuriora, a facillioribus ad difficiliora? Quis diversorum attributorum in idem subiectum concursum non intellexerit, si attributa ipsa in sua simplicitate considerentur, mox singulorum ad invicem aut dependentia, aut repugnantia, aut impossibilitas statuatur, & postremo si impossibilem causæ evidentes producantur in lucem? Mirum dictu quanta lux emicet a consensu omnium in eodem termino, ab apta connexionem partium inter se, ab examine omnium, quæ magis dubia occurrunt, & a revelatis causis singularum veritatum!

Non solum autem perspicuitate sese commendat methodica Tractatio, sed & illud peculiare habet, ut nihil ad scientiam spectans relinquat intactum; quoties enim recto ordine constat, ita ex eo revelantur tum singulæ partes subiecti, tum earum ad diversa, & inter se relationes, ut non facile subterfugiat aliquid animadversione dignum: quo fit, ut per hujusmodi methodum ea, quæ decet, integritate scientiæ tradantur, quod non modicum est commodum addiscentium.

Nec minus quoties methodice tractatas scientias addiscimus, & vel ex nobis, vel alio indicante methodi ipsius progressus, utilitatem, & usum introspicimus, sensim assuescimus eandem methodum nostris meditationibus, vel sermonibus aptare, quod sicuti non modicum est ad inventionem præsidium, ita dum inventa exponuntur, præsumptæ saltem veritatis testimonium est; quippe nullum majus est veritatis criterium, quam perspicuitas, & methodus ordinata ad eam attingendam.

Postremo cum methodica doctrina innumeris fere constet qua thesibus, qua exemplis, qua cæteris contra obscuritatem præsidii, iis continuo exercetur ingenium, & sese exercendo non modo illustratur, sed quodammodo fecundatur; plurimis enim imbitur, ut ita dicam, scientiarum seminibus, ex quibus data occasione erumpunt fructus uberissimi, adeo ut, cum scientiæ non actus, sed habitus sint, vix aliunde habitus scientifici hauriantur, quam a doctrina methodica.

Propterea negaverit nemo, illi multa accedere commoda, & quidem talia, quibus majora ab alia quacunque methodo sperari non possint, si tamen ab idoneo Viro adhibeatur, sique argumenti conditio permittat ut omnis perfectionis apices possit attingere. Veruntamen multo scientiarum detrimento acci-

accidit, ut & paucissimi Auctores adfint, qui valeant, & paucissima argumenta, quæ sinant, ut magistralis methodicus progressus in scientiarum traditione eo perfectionis deveniat, ut ab errore, ideoque ab incommodo undequaque immunis evadat. Hinc in methodicis, quas habemus, hujusmodi tractationibus plerumque incommoda adfunt non pauca, quorum pars quidem ab intrinseca hujusce methodi natura prodeunt, pars vero ex erroribus inevitabilibus, quæ illius puritatem inficiunt.

Et quo ad ea quidem, quæ a doctrina methodica inseparabilia sunt, maximum est, immo cæterorum omnium radix, prolixitas; accidit enim, ut dum singularia quæque ad leges hujusce methodi perquirimus, adeo in immensum excrescat Tractatio, ut nullus appareat terminus definendi. Hinc dolemus assidue, Scientiarum, aut Artium quamlibet totum hominem requirere, & neque tota Nestoris vita ad ejus terminum posse perveniri; hinc nil in ore hominum frequentius, quam hippocratica illa inscitia nostræ excusatio *Vita brevis, Ars longa*; atque hinc tandem Tyrones longitudine, atque exinde emergente difficultate perterriti, fatius ducunt aut scientias non attingere, aut leviter atastas deferere, quam maximo gurgite mergi, ex quo per totam suam vitam non amplius evadant.

Ex longitudine autem memoriæ oppressio suboritur, neque ad eam avertebam fatis est sæpe numero ordinis facilitas, & perspicuitas; hæc enim in generalibus aliquam quidem opem præstare potest, sed plurimum suæ utilitatis amittit cum ad minutiora descenditur.

Præterea, si loquamur de exercitationibus, quæ in publicis Scholis habentur, id efficit doctrina methodica, ut integro anni curriculo vix in materia proposita Juvenes initientur, reliqua vero, quæ semper potiora sunt, omitantur; & si quidem ea methodo singula præcipua capita rerum agendarum assumantur, vix ultra generalia quædam, ideoque vulgatiore procedere licet, quæ præterquam quod longe ab usu remouentur, nonnisi juvenilem indicant in Proficiente sapientiam.

Quo vero ad incommoda ab erroribus Methodicorum procedentia, illud quidem non modo incommodum, sed & detrimentum affert, quod plerumque inutilia sint ea, quibus magis insistimus, quod de singulis eadem ratione judicare aggredientes, certa ab incertis non sejungimus, cuncta probare nitimur, aut saltem suadere, & quod pejus, cæcam fidem ab Auditoribus exigimus, vulgari adagio freti *Oportet addiscentem credere*; hinc dissimulantur difficultates, scientiæ infirmitas veluti velo tegitur, & occultatur, falsa pro veris obtruduntur, veritas non tantum inquiritur, quantum larvatur, potiusque inquirentes ea, quæ alii senserint, quam quæ sentienda sint, dummodo ampla occurat loquendi supellex, neque Artis incrementum, neque perfectionem curamus, in solidioribus oscitabundi, in inanibus occupatissimi.

Sed hæc quidem humanæ imbecillitatis, non methodi, vitia sunt, cui juve non opposueris præter nimiam prolixitatem; cui ut occurrerent Auctores celeberrimi, aliam invenerunt tradendarum scientiarum rationem, scilicet doctrinam aphoristicam, quæ sicuti per compendia procedit, ita nimis longitudinis incommoda evitat omnia, siquidem scientias tradere nititur per breves sententias, in quibus condendis, ne prorsus ridiculæ sint, certæ quædam leges sunt observandæ; nempe primum quod sint ex medullis scientiarum, & veluti frustula earundem, non quæque tamen, sed quæ potiora eorum, quibus scientia coagmentatur, fundamenta sint; hinc secundo Aphorismi debent esse veri;

tertio circa generalia plerumque versantes; quarto fecundi, idest tales, ut ex iis alia veritates ad usum comparatae possint deduci; & quinto circa res maxime essentiales, necessarias, & utiles.

Quam enim utilitatem hauriemus ex falso Aphorismo? quam ex eo, qui particulari alicui casui solum applicari possit? quam tandem ex eo, qui circa inutilia, aut accidentalia versetur? Quoniam vero veritas praeteris necessaria est, hinc Aphorismus vel sat bene multae observationum supellestili, vel rationibus evidentissimis debet inniti, quas tamen in sententia aphoristica exprimere saepe numero vetat privilegium brevitatis. Caeteroquin nullus ordo, nulla connexio indispensabiliter requiritur, sed non rejicitur; cum enim *actiones in vita communi spargantur, non ordine componentur, magis ideo, ut inquit Verulamius, ipsis conducunt etiam sparsa documenta.*

Hisce conditionibus si Aphorismi potiantur, plurima quidem emergunt commoda; primum enim exosa illa prolixitate, qua scetet methodica, liberatur aphoristica doctrina; cum enim Aphorismi generales sint, plurima sub eorum generalitate complectuntur; si fecundi, plurima ab eorum singulis derivant, a quorum utrorumque speciali recensione cum scientia liberetur, in angustum non modice contrahitur. Similiter cum circa res tantum essentiales, utiles, & necessarias versari debeant, onere liberatur aphoristica doctrina minutiora quaeque prosequendi, quae methodica ad methodi integritatem vitare non potest.

Hinc secundo memoriae subvenitur; facile enim memoriae mandantur paucae aphoristicae sententiae, eaque sine probationibus, quam innumerae theses, quae in doctrina methodica cum suis argumentis, exemplis, & similitudinibus continentur; accedit, quod Aphorismi paucissimis verbis expressi sint, & non invenuto laconismo recordationem sollicitante. Hinc neque adeo absterrentur a bonarum artium studio Tyrones, neque, ubi eas aggressi fuerint, adeo taedio corripuntur, ut deserant, sed potius voluptate allecti intelligendi ea, quae primo aspectu latent, revera autem ab aphoristica sententia continentur, avidius expetunt ulteriora.

Tertio. Si Aphorismi legitimi sint, non est ut de eorum veritate dubitetur, ideoque neque est ut semel eorum veritate cognita, ulterius in eorum usu haesitemus; accidit enim his quod propositionibus geometricis, quarum vel semel perceptae demonstrationes efficiunt, ut quantumvis harum obliviscamur, propositiones easdem in usum vertere nullo pacto dubitemus; quin & rudioribus loco probationum esse potest universalis consensus, eo pacto quo Adagia, quae nihil aliud sunt, quam ad vitam civilem pertinentes Aphorismi, non aliunde suae veritatis demonstrationes assumunt.

Quarto. Aphoristica doctrina, dum in Scholis explicatur, non ita semper in vestibulo haeret per totius anni cursum, quemadmodum tractationes methodicae; etiam si enim, uti consuevit, tractetur, tres ad summum, aut quatuor lectiones, nisi extra chorum saltare lubeat, plerumque vero una, aut altera cuilibet Aphorismo explicando sufficiunt, adeo ut integro anni circuitu binae primae sectiones nulla opera possint absolvi, multo etiam plures, si idoneos quis nactus fuerit Auditores.

Quinto. Quod notat Verulamius, doctrina aphoristica sui Auctoris specimen dat, cum enim vix attingi possit, ac ne vix quidem, nisi ab eo, qui medullitus scientiam noverit, non facile errori subijcitur, si Auctores legendos suscipiamus, qui aphoristice scripserint; facillime autem si methodicos, quorum

rum sæpe numero aut compti sermonis illecebræ, aut in dicendo artificium; aut ubertas eruditionis, aut ordinis perspicuitas suavi quodam lænocinio minus cautis imponunt.

Postremo, quod & notat idem Verulamius, a doctrina aphoristica abscinditur varietas exemplorum, abscinditur illustratio, & excursio; abscinditur descriptio practicæ, & usus, ita ut nihil relinquatur præter copiam observationum sat amplam, aut ad summum rationes evidentes.

Hiscæ commodis præcipue præstat doctrina aphoristica, quorum causa factum est, ut Auctorum aphoristice scribentium opera summo plausu fuerint a perspicacioribus ingeniis excepta, non ita tamen ut plures habuerint imitatores, sive quod rei difficultas deterruerit, sive quod Tyronibus minus putata fuerit convenire, sive tandem quod incommoda, quæ nihilo fecius optimam methodum consequuntur, utilitatem longa manu superare fuerint visa.

Ea autem sunt partim intrinseca, & inseparabilia a methodo aphoristica, partim extrinseca, idest ab ejus imperfecto usu derivantia. Et inseparabilia quidem sunt =

Primum obscuritas, quæ contracti sermonis, qualis in Aphorismis condendis usu venire solet, individua focia est; *brevis esse laboro, obscurus fio*; eandem adducit universalitas, & fecunditas; illa quidem quia termini generales, cum a concretis plurimum distent, non adeo certam sui ipsorum ideam menti imprimunt, aut saltem non nisi multa difficultate; hæc vero, quia cum plurimas propositiones virtualiter, ut ita dicam, una concludat oratiuncula, non cujuslibet ingenii est evolvere involuta, & quasi in semine totam, quam continet, plantam conspiceræ. Præterea defectus ordinis, & connexionis in causa est, ut Aphorismus Aphorismum non illustret, contra ac in methodica tractatione, in qua propositiones diversæ invicem sese illuminant; & tandem omnium exemplorum, similitudinum, & paraphrasium carentia efficit, ut, (nisi res per sua veluti individua vocabula exprimatur, quæ sæpe numero in tradendis scientiis non profiant) efficit, inquam, ut vel versatissimo, vel perspicacissimo ingenio opus sit ad intelligentiam.

Veruntamen non sola obscuritas intrinsecum est vitium aphoristicæ doctrinæ, sed præterea opus est ut legentes plenam fidem adhibeant propositionibus, de quarum veritate dubitare sæpe numero prudentis Viri esset. Requiritur quidem in scriptione aphoristica veritas, sed ea non satis est ut cognita fuerit Auctori, sed præterea oportet ut pari certitudine constet legenti. At sine ulla probatione assertio tota in scribentis fide est, quæ si denegetur, præcipua corrui doctrinæ aphoristicæ dignitas. Id igitur incommodi est in doctrina aphoristica, ut requirat cæcam credulitatem in legente, quo nihil pejus in disciplinis, & artibus.

Sed & tertio non satis memoriæ subvenit paucitas memorandorum, quoties nullo ordine locantur, & nullo nexu vinciuntur ad invicem; satis enim, superque constat, quantus sit usus ordinis, & connexionis in reminiscencia, adeo ut facilius sit longam orationem apte concinnatam, & debita methodo dispositam memoriter tenere, quam centum vocabula, quorum nulla sit ad invicem connexio, nullus ordo; hinc fit, ut commodum illud ex brevitate memorandi fere ex integro pereat, causa nullius ordinatæ dispositionis.

Plura adderem, si per tempus liceret, nisi que majora prostant incommoda occurrentia ex methodi imperfectione; primum videlicet quisque novit, quam ardua sit propositionum, aut regularum universalium inventio in Scientiis,

22
 tiis, & Artibus, quæ ad singularia ex instituto descendunt, adeo ut in Medicina, quæ hujusmodi Ars est, in adagio sit, nullam aliam propositionem universalem haberi, nisi quod nulla sit propositio universalis; fit hinc ut Aphorismi sæpe numero proponantur universaliter, cum multis scateant exceptionibus, & frequenter latius patentibus, quam Aphorismi; hinc necessitas recurrit examinis, quod a doctrina aphoristica exoptatam demit brevitatem. Cogitet quisque quanta ex uno hoc capite emergant vitia, scilicet cum propositio universaliter prolata, & universali veritate carens, apud Logicos falsa habeatur, jam præcipuo ad legitimitatem requisito destituitur Aphorismus, ideoque neque Aphorismus dicendus.

Præterea ex ablata universalitate aufertur fecunditas; tantum enim abest ut Aphorismus universali veritate carens possit extendi, ut potius debeat limitari, aut saltem talibus verbis concipi, quæ majorem non expriment universalitatem, quam realiter habeat; atque hinc accidit, ut nostris temporibus ex Aphorismis Hippocratis plurimi suo usu priventur; cum enim Artifices experti fuerint, se eorum normam sequentes, nimiamque fidem verborum sensui adhibentes, in errorem deductos fuisse, iis ex integro fidem derogarunt, adeo ut jam a cautis Viris vix assumantur, præterquam in consultationibus ad ornatum sermonis.

Insuper cum difficillimum sit aut observatione, aut ratiocinio veritates universales statuere, & multam habentes latitudinem, oritur, ut, paucis ex hoc ordine congestis, reliqua doctrina concedatur Aphorismis circa res leves, aut particulares, multa quidem cum aphoristica dignitatis jactura.

Et tandem cum circa omnes scientiam aliquam integrantes partes nequeant certæ propositiones, aut Aphorismi proponi, fit ut mutila evadat tractatio, sæpe numero iis destituta partibus, quæ magis essentielles sunt, quarumque præstat aliquam habere notitiam, quam nullam.

Hiscæ sane incommodis adeo commoda doctrinæ aphoristica compensantur, ut dubium sit, hæc ne, an illa prævaleant, immo jure dubitandum, an scientia aliqua possit humanis viribus methodo vere aphoristica tradi. Quoniam tamen, qualiscunque sit, ejus utilitates multi ponderis semper visæ sunt, hinc etiam semper tentatum, ut incommodis adhiberentur remedia; & revera (contraham sermonem ad sententias aphoristicas Hippocratis) quam plurima, eaque a doctissimis Viris conscripta per eruditorum manus versantur Commentaria, Paraphrasæ, Enarrationes, quibus & sensus Aphorismorum dilucidus fit, & veritas per varii generis probationes indicatur, & pro re nata aut extenditur, aut limitatur, quibus & obscuritas tollitur, & dubium veritatis adimitur. Ab aliis item Aphorismi certis sub capitibus collecti sunt, & meliori ordine, quam ab Hippocrate sit factum, digesti, tum ut facilis redderetur memoria, tum etiam ut magis in promptu essent ad usum; & recordationis quidem gratia non desuere, qui eos carminibus reddiderint.

Verum enim vero quoniam humani ingenii luxuries raro Artis severæ limitibus continetur, & in ea qua quisque placet parte magis etiam diffunditur, factum propterea est, ut paucissimi ea usi fuerint in Aphorismis commentandis methodo, quæ ex usu discentium esse possit; multi enim nil nisi Grammatici sunt totis ingenii viribus contententes, ut Hippocratis sensus fideliter a græco textu in latinum sermonem converteretur; alii plusquam Medici videri volunt eruditi in antiqua historia, & doctrina; alii præjudiciis detenti cuncta trahunt ad proprium sensum; alii novitate allecti interpretationes antea

antea inauditas proponunt; alii toti in conciliationibus sunt, Aphorismos ad reliqua Hippocratis dicta conferentes. Qui vero propius bonam methodum sequuntur Aphorismos vel examinantes, vel ad ea, quæ in praxi occurrunt, comparantes, paucissimi sunt, quique rem acu ita attigerint, ut quis eorum commentationibus possit acquiescere, vix ulli.

Commentationes idcirco non rejicio, immo probo, uti incommodorum, quibus Aphorismi subjiciuntur, subsidiarias, sed utiles, & medicas tantummodo, quarum nempe opus triplex sit; primum videlicet verum sensum doctrinæ aphoristicæ eruere; secundo illum rigido examini subjicere, ut appareat ejus veritas; & tertio veritatem eandem per sua vera, & intrinseca media probare. Ex hoc postremo apparebit, an Aphorismus extendendus sit, an limitandus, an suæ naturali extensioni finendus; cum enim quælibet propositio veritatem suam desumat a causis, propter quas vera est, idest a probationibus potissimis, si harum major sit extensio, quam sententiæ aphoristicæ, & hæc partem extensionem patietur; e contra vero si causa veritatis non coextendatur Aphorismo, hic necessario limitationem patietur, & quidem talem, qualem indicabit extensio probationis. His omnibus si adjiciatur perspicuus ordo inter sententias, sub certis capitibus earum reductio, atque alia & usui, & recordationi comparata, non dubito, quin obscuritati, & dubio veritatis, & difficultati memoriæ, & recto usui Aphorismorum, cæterisque pene omnibus memoratis incommodis sufficienter fuerit consultum.

Hiscæ præfidiis adhibitis, præstantissimam censo, & plurimæ utilitatis aphoristicam doctrinam; sublatis quippe incommodis commoda quæque, & utilitates retinentur sane suspiciendæ; quin immo fieri potest, ut cum ejus commodis jungantur & ea, quæ propria sunt doctrinæ methodicæ, nimirum si utramque simul jungamus sine permixtione; sic enim doctrinæ aphoristicæ accedet & perspicuitas, & verus sensus, & probationes legitimæ a rei visceribus, & medulla depromptæ, ideoque facilis usus, absque eo quod methodi aphoristicæ depereat neque brevitas, neque veritas, neque memorandi facilitas; fieri siquidem potest, & fortasse ab origine nil plus ab iis quæsitum est, ut aphoristicæ sententiæ veluti fructus sint tractationum methodicarum; ideoque complectantur ea, quæ non Artem ex integro, & essentialiter component, sed quæ certiora, quæ utiliora, quæ universaliora occurrunt in una qualibet facultate. Idcirco minus solliciti esse debemus de scientiæ integritate; semper enim persuasum habui, nullam ex scientiis conjecturalibus posse per tractationem aphoristicam absolvi, immo neque tradi, nisi prævia methodica. Et sane quis existimaverit, Hippocratem censuisse totam Artem medicam a se ipso intra angustos Aphorismorum limites comprehensam fuisse, cum qui in ejus librorum lectura versati sunt luce clarius agnoscant, nil aliud esse Aphorismos, quam florem ejus doctrinæ, idest regulas, & propositiones, quæ inter aut meditandum, aut medendum visæ sunt & præcipuæ, & veriores.

Cum igitur hoc anno nobis rursus in Aphorismorum explicatione versandum sit, optimam methodum secuturos esse remur, si doctrinæ aphoristicæ methodicam copulemus, non ea quidem ratione, quæ apud quoslibet Commentatores usitata occurrit, scilicet ut per singulos Aphorismos singillatim percurramus, sed ita ut plures sententias ad eandem categoriam pertinentes simul, & unica methodica tractatione explicemus. Hinc occasione secundi Aphorismi, in quo de purgatione agitur, generalem de purgatione doctrinam methodicè aggrediemur, & occasione tertii de sanguinis missione. Ne autem hoc opus sit labo-

laboris alias habiti repetitio, plura omittemus, quæ tunc necessaria erant ad dilucidioſiorem noſtri ſyſtematis comprehensionem, nunc autem minime, ex quo anno elapſo de elementis ad mechanicum ſyſtematis præſcriptum uſe egimus; plura item ſuperaddemus ad doctrinæ complementum, præcipue quod ſpectat uſum utriuſque remediî in morborum curatione. Veruntamen his nequaquam contenti erimus, ſed occaſione quarti, vel ſeptimi Aphoriſmi, prout melius tunc res cedere videbitur, tertiam, eamque antehac a nobis non habitam, tractationem inſtituemus de ratione diætandi ægros in morbis, præſertim acutis, quæ quidem cum exacta haberi non poſſit ſine perfectâ notitia ejus, quod morbus acutus dicitur, & hic acutiem ſuam a Febribus præcipue deſumat; idcirco maximam hujusce Tractatus partem efficiet inquiſitio de natura, & cauſis Februm, in qua novam Febris ideam, & quidem, ut reor, cæterarum omnium, quæ hucusque lucem videre, naturæ congruentiſſimam me propoſiturum polliceor. In his autem quatuor theoriis, aut Tractatibus ea ponam fundamenta, a quibus Aphoriſmi quique ad purgationem, ſanguinis miſſionem, diætandi rationem, Februm diagnoſim, & curationem, atque alias huc pertinentes materias ſpectantes ſuas & explicationes, & examina, & probationes deſumant; ii autem multo plures ſunt, quam qui duabus primis ſectionibus continentur. Illa etiam accedet ex hoc opere Audientibus utilitas, ut non ſolum ſententiæ, quæ in Aphoriſmorum libris proſtant, explicationem ſuſcipiant, ſed etiam quæ hac illac per opera Hippocratis, & aliorum Auctorum ſparſæ reperiuntur, ad prædictas tamen quatuor categorias ſpectantes.

Quanti ponderis ſint materiæ a nobis hoc anno tractandæ clare perſpiciſtis, Auditores, niſi omnino rudes in Arte ſitis; continent ſiquidem præcipua artis præſidia, quorum abſoluta cognitio neceſſaria eſt; & præterea ideam morbi omnium univerſaliſſimam, Febris videlicet, ideoque, ſi Deus dederit ut cuncta pro dignitate exequamur, non modicum feciſſe autumabimus.

Adeſte igitur animis, favete frequentia, & ſtudio; quod enim ad me perſinet, omnes conatus impendam, ut Auditoribus meis humaniſſimis & voce, & ſcriptis utilis evadam.



PRÆLECTIO TERTIA.

Quod optimus Interpres Aphorismorum Hippocratis is solus esse potest, qui optimus Medicus fit.

QUæsitum diebus elapsis a me fuit, cur, cum tam multi reperiantur Hippocratis Enarratores, adeo tamen pauci sint, qui omnibus numeris absolutum opus perfecerint; quod cum verum sit de omnibus ejusdem Auctoris libris, præcipue tamen occurrit in commentationibus Aphorismorum, quæ innumeræ prostant; sed, si verum fateri liceat, vix ullæ legitimæ. Tantus enim Interpretum dissensus in mente Hippocratis explicanda, tam varia in exponendis sententiis methodus, tam lubricæ dictorum probationes, argumento sunt, aut neminem, aut paucissimos integre probaturum Hippocratem, si ad elyos deferrentur quæ nobis legenda offeruntur commentaria. Videbatur quærenti non una hujusce scandali subesse ratio, scilicet & gravis, plenusque aphoristicarum sententiarum sensus, qui quemadmodum plurium significationum gravidus, ita & variarum opinionum radix est, & fundamentum, inter quas licet non una ad rationis exactæ normam librata esse queat, tamen etiam evidentissime exorbitat. Deinde lectionum, & interpretationum e græco in latinum sermonem varietas; sæpe etenim numero particula aliqua aut derelicta, aut adjecta reperitur, & quæ ex eodem sensu eruuntur, ab Interpretibus latine reddita aliud, atque aliud sonant, nunquam certe idem prope modum. Et denique mysteria, quæ sæpe numero quæsitæ ubi non sunt, & ubi sunt neglecta, aut perperam revelata, hac illac ingenium distrahunt, & a recta interpretatione distorquent; fieri ideo, ut plerique ex Aphorismorum doctrina non utilitatem capiant, sed detrimentum, aut fallacia prognosticorum derisi, aut curationum exitu defraudati, aut signorum præsumpta certitudine hallucinati. Cœperatque inde conqueri de Hippocratis consilio, qui cum clare posset Artem tradere; quæ nil vilius tractat humano corio, obscure maluit scribere, quasi ac dictorum brevis natura suapte natura longam contraheret. Interpellavi dicentis sermonem, & nunquid, dixi, Hippocratem accusas; quod idoneum post tot sæcula non fuerit nactus Interpretem? Te meminisse oportebat eorum, quæ in Lege promulgaverat; scilicet *res sacras sacris hominibus demonstrandas esse, profanis vero id fas non esse, priusquam scientiæ orgiis initiarentur.* Demonstravit itaque, sed non ita, ut ab omnibus possent intelligi; Scientiæ orgiis initiaretur oportet qui præsumpserit veram Hippocratis mentem attingere; & ut scientiam acquirat, plurimis opus habet, quæ recenset Senex in Lege, docens quibus præsidis ad Artis apicem perveniri possit; adeo ut vera causa, cur Commentatores tam pauci occurrant legitimi, illa eadem sit, propter quam Medici fiant quidem fama, & nomine multi, re autem, & opere pauci comperiantur. Cœperat percontari quæ hæc causa sit, sed cum eo tempore negotiis distinerer non paucis, morem illi gerere prohibitus, illum ad hodiernam lectionem relegavi.

Jam vero intelligitis, Auditores, mihi in præsentiarum probandum, nemini datum fore optimi Commentatoris Aphorismorum officio fungi, nisi prius fuerit optimus Medicus, & non fore optimum Medicum, nisi iis utatur ducibus, quos Libro de Lege proposuit Hippocrates, inquit *Quisquis Medi-*

cina scientiam sibi comparare volet, eum his ducibus sui voti compotem fieri oportet, Natura, Doctrina, Loco studiis apto, Institutione a puero, Industria, & Tempore. Quas binas ubi ostendero propositiones, syllogistica demonstratione demonstratum remanebit, neminem esse posse aptum Aphorismorum Commentatorem, aut Interpretem, qui & Natura, & Doctrina, & Loco studiis apto, & Institutione a puero, & Industria, & Tempore non præcelluerit; adeoque hanc unam esse causam illegitimarum enarrationum, quod qui hoc opus aggressi sunt, altero, vel pluribus ex prænaratis ducibus fuerint expertes.

Quanta autem sit argumenti hujus utilitas, & fecunditas, jam aperte perspicitis, quippe ex inde constabit quæ ad optimum tum Artificem, tum Commentatorem efficiendum requirantur; quibus cuique insistendum sit, qui aut Medicinam facere ut Clinicus, aut docere ut Professor, aut addicere ut Studiosus desideret; & tandem quid, & quibus de causis diffideant inter se, qui fama tantum, & nomine Medici dicuntur, ab iis, qui re, & opere sunt.

Ut igitur assumptorum probationem aggrediamur, illud primum quidem assumendum est, neminem esse posse aptum Aphorismorum Commentatorem, nisi simul fuerit optimus Medicus. Hoc autem si Auctorum testimoniis rem conficere animus foret, facile possem vel solius Galeni, qui & 4. Aphorif. 71. eos increpat, qui *audent Hippocratis commentarios exponere, priusquam totam ipsius Artem perdiscant*, & 6. Methodi cap. 4. consulit, ut sua commentaria legantur ante Hippocratis libros, utpote a quibus hi suam recipere possunt perspicuitatem; quæ si vera sunt de hippocraticis Operibus in universon, quanto magis vera erunt de libris Aphorismorum, qui communi omnium testimonio & gravissimi sunt, & doctrinarum medulla refertissimi, quin & breves, & laconice conscripti, & quod maximum, tanta rerum varietate gaudentes, ut nulla sit Medicinæ pars qua theoreticæ, qua practicæ, qua diagnosticæ, qua prognosticæ, qua therapeuticæ, qua diæticæ, qua chirurgicæ &c., ad quam pertinentes sententiæ in libris Aphorismorum non legantur. Quotusquisque ergo non integram callens Medicinam par esse poterit omnibus absolvendis, intelligendis, explanandisque ad mentem Auctoris sui, quod idem est ac dicere ad genium Naturæ? At qui integram calluerit Medicinam, is optimus Medicus est; optimus igitur Medicus requiritur ad Aphorismorum explicationem.

Sed libet argumentum nostrum proximius attingere, solam percurrendo primam Aphorismorum sectionem, in qua tot occurrunt prænoscentia, ut nisi qui totius hippocraticæ Artis admodum peritus fuerit, vel ipsi soli exponendæ omnino impar futurus sit. Scilicet Aphorismo secundo de spontaneis purgationibus agitur, & de vasorum inanitionibus, exhibendo signum, quo proficiat, & utile a malis, & inutilibus distinguantur, & innuendo circumstantias ex regione, tempore, ætate, & morbo, quibus convenientiæ, vel disconvenientiæ circumscribuntur.

In hujus Aphorismi intelligentia peccant plerique, censentes regulas tradi optimæ purgationis, cum si cuncta rite examinentur, regulæ tradantur observandi, & determinandi spontaneas præcipue solutiones, quæ morbis accidunt, ut pro exigentia valeat eas Medicus arte procurare, & imitari. Sed quis intelliget, nisi quid, & quot sint evacuationes, quid spontaneæ a coactis differant, quid vasorum inanitio, an primarum viarum, an sanguineorum vasorum, an quorumcunque, quid conferentia sit, quid tolerantia & sciat, & alios docere valeat? Sed hæc nihil omnino sunt, si conferantur cum necessitate cognitionis morborum omnium, & rationis, per quam morbi singuli in sua specie de-

terminantur, quid ad certum genus solutionis conferat regio, tempus, ætas, & ad horum normam quæcunque aliæ circumstantiæ, sejungendo utiles ab inutilibus, ne harum appositio diligentiam quidem, sed simul etiam imperitiam ostendat. Hæc sane tot, & tanta sunt, ut vulgaris Medici lineam transcendant, sed requirant in Expositore totius Artis notitiam, eamque non qualemcunque, sed exactam.

Rursus in tertio Aphorismo de Athletarum habitibus agitur, & eorundem solutione; cautiones insuper, ne ad extremum deducantur vasorum compressiones, sed proportionem habeant naturæ ejus, qui debet perferre, & obiter de evacuationibus, & refectionibus nunquam ad extremum deducendis. Hæc intelliget nemo, qui ignoraverit, quid sit athleticus habitus, quomodo ejus solutio fiat, quo gradu compressiones vasorum definiantur, quid, & qualis hominum non in univ ersum, sed juxta singulorum individuitates natura sit, quibusque mensuris ejus tolerantia definiatur, & rursus quid extremitas evacuationum, quid refectionum, & postremo quale genus periculi impendat tum vasorum compressionibus, tum evacuationibus extremis. Vel unum horum ignoratum totius Aphorismi vitiabit intelligentiam.

Ab Aphorismo quarto per totum decimum nonum de ratione diætandi ægros doctrina traditur. Hæc tam magni momenti est, ut tertiam Medicinæ partem æquet; quin in Schola hippocratica pene totam, cum Medicina hippocratica pharmacis, & ratione victus morbos expugnare aggrediatur, scilicet, si Medicina, ut habetur Libro de Flatibus, est additio, & ablatio, illa victus ratione, hæc pharmacis obtinetur. Sed ad ejus intelligentiam mirum quot necessaria sint etiam extra partem Medicinæ diæteticam contenta, doctrina videlicet tota de morborum differentiis, quod spectat eorum longitudinem, aut breviter, securitatem, aut periculum, acutiem, aut mollitiem. Insuper de morborum temporibus, deinde de victus diversa ratione, quatenus ad tenuitatem extremam magis, vel minus accedit, aut recedit. Rursus de conjecturis ostendentibus magis, vel minus abesse a principio morbi statum, & de viribus ægri suffecturis, vel non, certa sub ratione victus usque ad morbi vigorem; de morborum accessibus, & periodicis; demum de indicis has vel illas prædicentibus, quæ magnam partem doctrinæ semejoticæ præferunt. Ad hæc Aphorismo decimo tertio de ætatibus, & earum majori, vel minori resistentia jejunio perferendo; Aphorismo decimo quarto de calido innato, ejusque actione tum in augendis Infantum corporibus, tum in cibariis concoquendis, de quo vel sola doctrina maximam partem Physiologiæ exhaurit; Aphorismo decimo quinto, & decimo octavo ventriculorum variis exponitur per anni tempora status, & exinde orta vis diversa ad jejunia perferenda, varia item plurium, vel pauciorum fomitem necessitas, & horum diversitas quemadmodum a varia actione solaris caloris in corporibus nostris dependet, tum etiam a principiis anatomicis, & physiologicis. Qui hæc ignoraverit, nullo pacto idoneus existet cunctis recte explicandis.

Præterea quæ ab Aphorismo vigesimo usque ad finem sectionis continentur, patet siquidem de morborum judicationibus hic agi qua perfectis, qua imperfectis, ut Aphorismis vigesimo, & vigesimo primo; de adjumento naturæ addendo cum segnis est, & quo morbi tempore addi debeat, quo non, ut vigesimo secundo, ubi de coctione materiæ morbificæ, & de materia turgente sermo esse debet. Insuper de purgationibus non multitudine, sed qualitate æstimandis, in æcutis vero passionibus raro instituentis, ut Aphorismis vigesimo tertio, & vigesimo quarto.

An non hæc vobis maxima ea esse videntur, quibus universa constat medendi Ars; eaque non nomine tantum tenus, ut plerique solent, sed funditus cognoscenda; tum ut Hippocratis doctrina explanetur, tum ut intelligantur utilissima theorematâ, quibus aut innitur, aut constat Scientia Medica universa?

Quod si tot requiruntur apprime cognita Expositori primæ sectionis Aphorismorum, hinc argumentum deduci potest eorum, quæ scire necessarium esse eum, qui ad reliquas sex sectiones enarrationes suas extenderit, in quibus quemadmodum major est varietas materierum, ita & doctrina latior, & profundior requiritur; ut tandem constet, soli optimo Medico concessum tam arduum opus exequi, & ad umbilicum perducere, qui & in Hippocratis doctrina versatissimus sit, ut ejus veram mentem aperiat, & aliis Scientiis eruditus, ut quæ aliunde petuntur ab Hippocrate possint explanari, & in praxi exercitatus, ut judicet, num dictatis Hippocratis natura respondeat; & quod maximum, in scientia physica quantum late patet doctissimus, ut quoniam Aphorismorum veritas jure optimo censetur ab Auctore suo longa observatione, & frequentibus experimentis revelata, ejus causæ intrinsicæ producantur, ut pateat quinam Aphorismi extensionem ad alios casus mereantur, qui petant arctioribus, quam ab Hippocrate factum sit, terminis coerceri, quique tandem recte ab initio sint constituti; tantum quippe certum est extendi alicujus dicti veritatem, quantum late patet ejus intrinsicæ causæ, vel ratio.

Veruntamen cum nemo eorum, qui nomine, & fama tantum Medici sunt, re, & opere Medicum se esse non præsumat, rari siquidem sunt, qui inscitiam suam aut cognoscant, aut velint confiteri, præcipue cum, si eloquio valeant, tantum esse credant scire, quantum de singulis copiose disserere; sin minus, & sese occupent ægris invisendis, sibi tribuant ægrorum sanationes, eoque nomine re, & opere Medicos sese ostentent; propterea quibus mediis ad summum Medicinæ fastigium quis pervenire possit cum Hippocrate videndum est; quemadmodum enim ea causæ sunt, ut quis Medicinæ perfectionem nanciscatur, ita possunt esse criteria ostendentia, an ille eam fuerit adeptus. Sex ergo enumerat libro, qui Lex inscribitur, ut ipse ait, duces, quibus mediis anhelans ad Medicinæ perfectionem sui voti compos fieri possit; scilicet primum *naturam*, deinde *doctrinam*, tertio *locum studiis aptum*, quarto *instituitionem a puero*, quinto *industriam*, sexto *tempus*, quibus exemplaria quædam septimum addunt, nempe *mores generosos*. Per hæc igitur quis optimus Medicus fieri potest, per hæc itur ad Medicinæ fastigium, nec alia ad eum terminum via est, siquidem, ut loquitur Senex, *Natura repugnante irrita sunt omnia, eadem vero ad optimum quodque viam commonsitante artis doctrina paratur, quam ex institutione a puero, in loco ad disciplinam probe a Natura accommodato cum prudentia sibi comparare oportet. Ad hæc longi temporis industriam accedere necesse est, quo disciplina veluti gravidata feliciter, & bene crescendo maturos fructus efferat.*

Hæc & gravissime, & verissime Senex, ex quibus discere licet, tum quæ optimum Medicum faciant, tum quis optimus Medicus sit, dummodo cuncta ad mentem Hippocratis intelligantur. Neque enim satis est, ut qualicunque Naturæ suffragio a teneris unguiculis litterarum studiis applicitus puer, ubi ad eam venerit ætatem, quæ addicendis Scientiis, & Artibus existit accommodata, Lyceum aliquod adeat, ibique per quatuor, vel quinque annos commoratus lauream doctorem adificatur, quemadmodum nostris temporibus consuevit, Medicus salvetur; Hic enim licet natura, doctrina, institutione a puero, loco studiis apto, & industria per aliquot annos continuata usus sit, non ideo tamen credendus scientiæ

tia apicem attigisse; potest enim defuisse subsidium naturæ, quod non qualecunque, sed maximum, & Scientiæ medicæ accommodatissimum intelligendum est; potest defuisse doctrina, quæ non qualiscunque, sed in certum finem directæ acquiritur; potest defuisse institutio in puero, quæ si perfunctoria, & sine debita sedulitate, paulo minus quam evanida habetur. Non desuit fortasse locus studiis aptus, sed non satis est, nisi in eo studia optime dirigantur ad finem constitutum, nisi optimi audiantur Professores, nisi frequententur Lycea; Deerit tandem fortasse industria, quæ perpetuo, & in singulis debet exerceri, & quod maximum, nisi per totum vitæ cursum, aut saltem per tempus longissimum protrahatur disciplina, poterit quidem doctrina medica mediocriter acquiri, sed non quæ summum, & optimum Medicum possit constituere. Facile igitur est, ut quis, eo quod hippocraticos duces in medicis studiis quadantenus adhibuerit, sese optimum Medicum judicet, cum tamen non sit; ut autem fiat Petronii Arbitri consilium sequatur oportet, dum inquit

*Artis severæ si quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege polleat exacta.*

Igitur exacta lex necessaria est magnum aliquod inhienti, quale profecto est Artis medicæ fastigium, & quidem in eorum usu, de quibus Hippocrates. In quo autem hujusmodi exacta lex consistat, libet in rem nostram paulo diligentius inquirere.

Principio igitur requirit divinus Senex in futuro optimo Medico naturam, cujus nomine intelligenda est intrinseca quædam, & sæpius congenita dispositio tum corporis, tum animi ad aliquod efficiendum. Variat hæc pro diversitate terminorum, ad quos collimat; hinc alii reperiuntur naturaliter dispositi ad Piætoriam, alii ad Statuariam, alii ad Musicam, alii ad Scientias, & inter has quidem alii ad Mathesim, alii ad Theologiam, alii ad Moralem Philosophiam, & alii tandem, ut sermonem contraham, ad Artem medicam. Licet autem possit quis naturam fortiri ad cuncta dispositam, id tamen monstro simile est; sæpius enim occurrunt naturæ ad unum, non ad alterum accommodatæ. Neque minimum quoddam est Naturæ donum fortiri perfectam dispositionem ad certum quiddam, & determinatum, licet non ad alia, dummodo id inter expetenda locum obtineat. Porro ad Artem medicam exacta, & omnibus numeris absoluta dispositio non ex uno tantum coalescit, sed ex pluribus, & exinde est, quod pauci admodum naturam habeant eam, quam in optimo Medico requirit Hippocrates, scilicet talem, quæ ad optimum quodque viam commensuret. Commonstrabit autem, si primum quidem ingenium dederit perspicax, & ad omnia præfens, sed grave; sique ad id doctrinarum genus dispositum, sine quibus Ars medica aut stare non potest, aut perfici; Hinc fortem habeat imaginationem oportet, ut quæ sensibus non occurrunt, saltem immediate, valeat imaginatione comprehendere; judicium ponderatum in rerum veritate dijudicanda; ratiocinandi vim promptam, & exactam, ut ex iis, quæ apparent, aut alioquin certa sunt, ignotas conclusiones eruere sine paralogismo possit. Memoria item valeat necesse est, non tantum ea, quæ in verbis pistacorum in morem exercetur, sed ea, quæ in rebus; idque tum ut theoremata medica mente retineat, tum ut remedia singulis actionibus, ne dicam morbis, & symptomatibus accommodata. Deinde si moralibus virtutibus, ex quo morum generositas, imbutus sit, imprimis vero prudentia, tolerantia, justitia, charitate; hæc enim & ad Artis exercitium, & ad publicas cathedras sustinendas homines efficiunt accommodatos; præ cæteris vero absit avaritia, impietas, austeritas, superbia, dolus &c., & si quæ alia sunt bonis Artibus insensibilissima vitia. Tertio tandem requi-

30
 requiritur corporis certa dispositio, quæ ad sustinendos & studii, & praxeos labores sufficere possit; quin si Medicus ad operationes chirurgicas, aut ad sectiones anatomicas studium suum extendat, peculiaris exigitur dexteritas, quæ licet exercitio acquiratur, nisi tamen natura suffragetur; frustranea plerumque redditur quæcunque ad id agendum impenditur sedulitas, & industria.

Veruntamen cum hæc omnia, quæ gratuitum sunt naturæ munus, non per se, sed in ordine ad doctrinam, quæ labore, sedulitate, & attentione comparatur, in eo, qui futurus est Medicus, requirantur, non satis est, ut quis a natura dispositus sit, sed præterea opus est, ut notitiam sibi compararet eorum omnium, ex quibus Ars coalescit; hæc autem non adeo pauca sunt, quemadmodum fortasse sibi persuadet qui totam Medicinam sola morborum, & remediorum notitia circumferibit. Hæc quidem medica sunt, quæque sicuti magis accedunt ad opus Medici, ita & putantur sola medicam constituere: Opportunorum opportuna applicatio hæc opus medicum est; sed cognitio opportunitatis in applicatione, & in eo, quod applicatur, hoc quidem doctrinam medicam constituit; & hoc est quid longe majus cognitione morborum, & remediorum. Opportunitatem ejus, quod applicatur, docet cognitio naturæ remedii, & modi, quo ab eo corpus alteratur, comparata exigentiæ, quæ in corpore eodem deprehenditur; exigentiæ autem cognoscitur non modo per cognitionem morbi, sed præcipue per notitiam causæ, ex qua fit, & indicationis ex ea pullulantis, & partis, quæ afficitur, & mille aliorum, quæ hic longum esset recensere. At cognitio opportunitatis in applicatione ex motu morbi, & ejus causæ, & a plurium circumstantiarum concursu definitur; quæ omnia quemadmodum fuscæ in libris medicis continentur, ita & Artem componunt ex Hippocratis monito longam.

Sed quod magis, cum Scientia medica Physicæ subalternetur, impossibile est, ut quis ejus compos fiat, nisi prius Philosophus fuerit naturalis, & quidem non nomine tantum tenuis, ut plerique solent, sed reapse; idest qui & effectus causarum, & causas effectuum noscat, & modos, quibus causæ suos producunt effectus, & modos, quibus effectus a suis causis & producuntur, & conservantur. Hinc cum physica Scientia sine Mathesi stare non possit, & ad hanc ascendendam necesse est ut operam suam collocet futurus Medicus. Cum autem præcipuum Medicorum studium circa humana corpora versetur, & circa remedia, illorumque notitiam doceat Anatome, horum vero naturalis Historia, hinc & Historia naturalis, & Anatome studio medico conjungendæ sunt; & postremo cum remedia suæ virtutis causam habeant in principiis, quibus hæc componuntur, hæc autem per chymicam analysim revelentur, & huic quoque, tum in hunc, tum in alios fines incumbendum est.

Apparet igitur plurium Scientiarum notitiam esse eam, quam unico nomine doctrinæ complectitur Hippocrates, eamque male a vulgo contrahi ad solam remediorum, & morborum notitiam, qua qui sola potiuntur, ii sunt, quos appellat idem Hippocrates nomine tantum, & fama Medicos, non re, & opere; eos assimilians iis, qui in tragædiis recitant, Heroum personas per aliquot horas sustinentes, cum tamen Heroes non sint.

Hinc nil mirum, si ad tot, & tanta addiscenda, præter naturæ præsidium, postuletur institutio a puero, & locus studiis idoneus. Neque enim facile est alicui se solo, & absque optimis Præceptoribus ita in prædictis omnibus instrui, quin millenæ æquivocationes fiant, quin infinitæ emergant dubietates, quæ nisi eliquentur, viam in progressu facient asperam, senticosam, & tædii plenam, quibus difficultatibus ita sæpe numero absterrentur ingenia, ut opus relinquunt interruptum.

Ad hæc, cum sciendorum numerus, ut demonstratum est, propemodum fine careat, opus est ab ineunte ætate opus inchoare, non ita quidem, ut prima studia sint circa res medicas, sed circa ea, quæ præreperantur ad eas, ætati tamen proportionata. Hinc primi anni Grammaticæ, & Rhetoricæ dicandi sunt, Geometriæ item, Arithmeticæ, & Botanicæ, mox ad Dialecticam, & Physicam, conjuncta Anatome, & Chymica, tandem ad Medicinam progrediendum est. Sic ex ordine instituta studia unum alteri lucem scenerabunt, adeo ut cum ad Medicinæ studium, permittente ætate, & studiis antea actis, deventum fuerit, non sit dubitandum, quin feliciores fiant progressus, & ad metam propositam tandem aliquando perveniatur.

Sed quoniam ea, quam habemus, Ars medica, licet ab Hippocrate inventa, & a Galeno, aliisque per ætates posteriores florentibus Medicis propagata sit, nihilominus tamen non adhuc optatam attingit perfectionem, quin immo quoniam casuum diversitas tanta est, ut raro alter alteri per omnia similis occurrat, cum in studiis obeundis, tum in usu Artis, industria propterea opus est, qua ad ea revelanda, quæ adhuc in Arte ignota sunt, opportuna media perquirantur, similiterque ad enodandas difficultates, quæ frequentissime occurrunt in Artis exercitio. Eas huc afferre non licet, nec vacat; satis sit dixisse, res magnas, qualis Medicinæ est, non nisi labore, & industria comparari.

Tandem quod spectat tempus, hujus necessitatem satis indicat & Artis longitudo, & præsciendorum numerus, & cunctorum difficultas, quin & rerum usus, & experientia, quam præstat sibi comparasse non ex aliorum scriptis, sed ex diutina observatione morborum, & effectuum, quos in sanis æque, ac ægris corporibus producant tum morbi iidem, tum omnis generis medicamenta. Hæc omnia tempus exigunt non breve, sed longissimum; & ad quod æquandum totius Vitæ cursus satis esse non potest; Vita enim brevis est, quemadmodum & Ars longa.

Patet itaque, optimum Medicum præstare debere & natura, & doctrina, & institutione a puero; & loco studiis apto, & industria, & tempore; & si quidem, aut aliquid defuerit, aut quale exigitur, vix possibile est, ut sinat quemquam ad apicem pervenire Medicinæ, adeo ut optimus & re; & opere Medicus possit appellari. Qui autem prædictis omnibus subsidiis præditus fuerit, rara erit avis in terris. Quare si is solus enarrandis Hippocratis operibus aptus esse poterit, qui fuerit optimus Medicus, causa patet, cur tam pauci inter innumeros Commentatores reperiantur, qui omnibus numeris absolutas commentationes ediderint; scilicet quia optimi Medici rarissimi sunt.

Neque est, ut quis credat, aut parem in reliquis commentationibus occurrere difficultatem, aut si minus in illis, neque etiam in hac; longe enim alia res est. Reliqua opera, quæ ab Auctoribus assumuntur explicanda, sunt hominum, hoc autem Naturæ; neque enim censeatis oportet, ex quo liber inscribitur Aphorismorum Hippocratis, eum esse partum ejus mentis, quemadmodum sunt pleraque Opera, quæ commentariis illustrata sunt. In his non agitur, nisi de explicando verborum sensu, & exinde prodenda Auctoris mente, ideoque satis est, ut Commentator sit veritatis in ejus doctrina. At Aphorismi conscripti quidem sunt ab Hippocrate, & congesti, non tamen e cerebro exempti, ut reliqua solent, sed ex observatione desumpti, ideoque habendi sunt tanquam dictati ab ipsa Natura, Hippocrate transcribente. Agitur ergo de commentandis non tantum Hippocratis, quantum Naturæ Aphorismis, in quibus conscribendis potuit quidem errasse Hippocrates sententias aut nimium dilatando, aut nimium contrahendo, sed non ita, ut mera opinio sit quod assertur; veritas enim in Aphorismis semper reperitur aut

aperta, aut latitans, nunquam enim fallit observatio, licet sæpe numero fallatur Observans. Quemadmodum igitur in explicandis Auctoris cujuslibet operibus reliquis expostulatur Enarrator, qui ejus doctrinam apprime calleat, ita in explicandis operibus Naturæ, idest Aphorismis Hippocratis, opus est Enarratore, qui doctrinam Naturæ intus, & in cute possideat. Quantum autem intersit inter gnaros scientiæ, & doctrinæ alicujus Auctoris, & eos, qui doctrinam Naturæ calleant, tantum facile est judicare, quantum cognoscere, illorum plurimos reperiri, horum paucissimos, & propterea si ad legitimam interpretationem Aphorismorum requiritur doctus in scientia Naturæ, futurum ut paucissimi sint, qui Aphorismos Hippocratis legitime interpretarint, elapsis præcipue temporibus, quibus Scientia physica non satis ad veritatem videtur exulta fuisse; quam quidem potissimam causam esse reor non satis exactarum, etiamsi a probatissimo Auctore prodierint, commentationum.

Hinc duo pro coronide in rem nostram colligatis velim. Alterum, nemini mirandum esse, si & nos in eo, quod aggredimur, officio interpretandi ex lege almi hujus Lycei Aphorismos Hippocratis, non semper aliorum Commentatorum, neque ipso Galeno excepto, sententias sequemur; nostra enim intentio non est, divagari per varias prostantes interpretationes, sed eam seligere, quæ naturæ genio fuerit conformior; ab hac enim docebimur utilia in Arte, non ab illis. Alterum, non ideo tamen nos præsumere sapere supra alios; novimus enim magis, quam alius quisque, inertiam, & impotentiam nostram. Sed non ex inde absterri debemus, quin nostram sententiam, & interpretationem afferamus; accidit enim sæpe numero, ut etiam stultus vera sit locutus, & inter mala plura non raro commixta reperiuntur & bona. Quomocunque res sit, vos exoro, Auditores humanissimi, ut pondus rationum unice respiciatis, nihil curantes aliorum diversam opinionem; sua enim cuique stat sententia, sed validæ rationes pro solâstant veritate.

Cæterum, ut innotescat qualis anni litterarii incipientis futurus sit noster labor, paucis accipite. Primum conabimur Aphorismos omnes primæ sectionis, quemadmodum diximus, non minus ad mentem Hippocratis, quam ad Naturæ genium interpretari, ita ut cuncta explicentur ad intelligentiam sententiarum necessaria. Deinde pro more nostro, quoniam, ut innuimus, Aphorismorum doctrina nequaquam inter libros introductorios recensenda est, sed potius habenda pro synopsis, aut compendio selectissimorum dogmatum ad universam Artem pertinentium, præsupponens ideo ejus notitiam, quæ tamen in Tyronibus, quibus instruendis nobis vacandum est, præsumenda non est; propterea; ubi occasio feret, peculiare instituemus qua theoreticæ, qua practicæ breves tractatiunculas. Alias occasione secundi Aphorismi de Purgatione, & occasione tertii de sanguinis Missionem egimus. In præsentem autem, ne crambem recoquere videamur, hæc ommissis tractatus alios aggrediemur, scilicet de Ratione diætandi ægros, quæ potissima est materia Aphorismorum primæ sectionis. Deinde de Coctione medica, & Evacuationibus criticis, de hac enim agit Aphorismo vigesimo, & sequentibus. Sumpta item occasione ex Aphorismo decimo quarto, de Calido innato, & de ejus in corporibus animalium actione, non levem, neque inutilem tractatum habebimus.

His satis, superque exhauriri posse universas hujusce anni exercitationes reor; reliquum est ut præsentia vestra saveatis, & si probabilia dicentur, nil ulterius requiratis.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO PRIMA

A DOMINICO GULIELMINO

PARTIM,

PARTIM VERO

A JOSEPHO FERDINANDO FILIO

COMMENTARIIS ILLUSTRATA.

APHORISMUS I.

Vita brevis, Ars longa, occasio praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec non se ipsum praestare oportet opportuna facientem, sed & agrum, & affidentes, & exteriora.

EXPOSITIO.



Rimus hic Aphorismus exordii locum tenet, viamque reliquis sternit; mensque Hippocratis, ut reor, fuit, rationem adducere, cur Opus conscripserit aphoristicum. Est autem Artis longitudo in ordine ad ejus constitutionem, quæ cum talis sit relative solum, propterea ab Hippocrate refertur ad Vitæ brevitatem, cæteraque hoc primo Aphorismo comprehensa. Quod hæc fuerit mens divini Senis, ipsiusque ratio, sic potest syllogistice probari.

In constitutione ejus Artis aphoristice procedere præstat, quæ inventionem, augmentum, & perfectionem longa est. Sed hujusmodi est Ars medica. Ergo in Artis medicæ constitutione aphoristicam methodum adhibere convenit.

Probatur major. Ars, quæ inventione, augmento, & perfectione est longa, pro ipsius constitutione exposcit, ut certa a dubiis, & comperta ab incompertis secernantur. Sed hæc aptius, & commodius obtineri non possunt, quam methodo aphoristica. Ergo Artem inventione, augmento, & perfectione longam pro ejus constitutione aphoristice præstat conscribere.

Minor vero ex ipsis Aphorismi particulis probatur hoc pacto. Ea Ars inventione, augmento, & perfectione est longa, cujus relatione Vita brevis est, & in qua occasio est præceps, experimentum periculosum, judicium difficile, nec satis est, Artificem præstare se opportuna facientem, sed præterea requiritur concursus ægri, assidentium, & exteriorum. Sed relate ad inventionem, augmentum, & perfectionem Artis medicæ res ita se habet, ut facile probari potest (*& nos in subjectis adnotationibus probamus*). Ergo Ars medica in sui inventione, augmento, & perfectione longa est.

Et hic mihi videtur primi hujus Aphorismi legitimus sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Aphorismus hic, si recte perpendatur, intelligi non potest, nisi de Artis inventione, augmento, & perfectione; uno verbo de ipsius constitutione, ad quam solam omnes Aphorismi particulæ referri possunt; quod maxime decet ad sententiæ unitatem salvandam. Siquidem cum Medicina dupliciter considerari possit, idest vel in abstracto, & in se ipsa, vel in concreto, & relate ad Artificem; in abstracto autem sit scientia mediorum omnium, quibus sanitas hominis conservari, vel restitui potest, sic quidem considerata nullo pacto Ars esse potest, sed Scientia, quæ in solo est

Deo omnia cognoscente, & præsentia semper habente; quamobrem neque longa dici potest, cum tota simul sine ulla ad tempus relatione consistat. Reliquum igitur est, ut Aphorismus intelligatur de Medicina, in concreto considerata, idest relate ad Artificem.

At vero si ad hunc referatur, sub triplici differentia venire potest Medicina, aut videlicet in habitu acquisito, aut in habitu acquirendo, aut prout ad opus descendit.

De Medicina in habitu acquisito profecto intelligi non potest Aphorismus; sic enim considerata residet in Artifice, absque ulla relatione neque ad tempus, neque ad opus, neque ad media acquisitionis. Non relate ad tempus,

pus; nam potest quidem esse in Artifice vel completa, vel incompleta. Sed alterutra ratione, cum jam acquisita sit, simul, & eodem tempore possidetur; quamobrem longa esse non potest. Verum neque ut ad opus descendens, in habitu namque acquisito simpliciter considerata, nullum exposcit necessarium descensum ad opus, ita ut qui Medicinam sic callent, Theorici simpliciter nuncupentur, ac propterea in hisce scientia est, non ars. Demum neque referri potest ad media acquisitionis, cum jam acquisita sit. Non igitur intelligi potest Aphorismus de Medicina ut habitus acquisitus.

Videamus, num intelligi possit de Medicina in Artifice ad opus descendente, idest de exercitio pratico. Verum licet ultima Aphorismi particula de medico opere manifeste loquatur, non omnes tamen ad opus ipsum referri possunt; siquidem ars in opere ipso longa dici nequit, nec vita brevis. Unus enim Medicus iisdem temporibus plures invisere potest ægros, paucisque diebus, aut hebdomadis integre curare; ut prætereamus nunc alias particulas, de quibus infra.

Cum igitur neque de Medicina in pratico exercitio Aphorismus intelligi possit, restat, ut de Medicina in habitu acquirendo sit intelligendus. Quoniam vero habitus medicus acquirendus potest & ipse dupliciter sumi; vel ut acquirendus ad similitudinem alterius, qui in Artifice docente reperitur, & Medicina docens dicitur, vel disciplina, vel doctrina medica; vel acquirendus absque ista similitudine, & in se, & primario, & dicitur Medicina nascens, seu in inventione, augmento, & perfectione, uno verbo in constitutione; patet, primo modo sumi non posse, ut de ea intelligatur Aphorismus: paucis enim annis, quin uno tantum, teste Galeno de placitis Hippocratis, & Platonis, percipi potest. Quamobrem consequitur intelligi

debere Aphorismum de Artis constitutione, ad quam solam singulæ ejus particulae referri possunt, ut in subsequentibus adnotationibus constabit. Non ita tamen quidem, ut aliqua vel ad practicum exercitium, vel ad medicam disciplinam, vel ad aliam quampiam Medicinæ acceptionem referri nequeant, sed quia ad has aliqua solum Aphorismi particulae accommodari possunt, non omnes, uti ad Artis constitutionem.

ADNOTATIO II.

Nequè Vita pronuntiari potest brevis, neque Ars longa, nisi relative: brevis namque, & longitudo necessario respiciunt aut spatii extensionem, aut temporis diuturnitatem; est enim vita illud temporis spatium, quod quilibet homo in hoc mundo percurrit. Consequens igitur est, cum Medicina ab Hippocrate Ars longa dicatur, postquam brevem pronuntiavit vitam, longitudinem Artis & ipsam necessario ad tempus esse referendam.

Hanc porro Artem cum supra probatum sit longam esse non posse, si Medicina intelligatur in abstracto, neque in concreto si sumatur pro habitu acquisito, aut prout descendens ad opus; reliquum est, ut tantummodo longa dicatur in habitu acquirendo; id quod ut de medica disciplina contra Galenum defendi posset, procul dubio verum est de Artis constitutione. Nam cum ad Artis constitutionem tria requirantur, ratio videlicet, observatio, & experientia; quam difficultia hæc omnia sint ad Artem firmam, & inconcussam stabiliendam, ex inferius habendis adnotationibus plane fiet manifestum.

ADNOTATIO III.

Vita dicitur brevis comparata ad Artis longitudinem, idest ad media ejus acquisitionis, quæ sunt, ut

diximus, ratio, observatio, & experientia. Experientia autem comparari non potest, nisi infinito propemodum observationum numero perfecte invicem congruentium, exacta earundem insimul comparatione, & diligenti segregatione circumstantiarum utilium ab inutilibus, quæ in ipsis observationibus animadvertendæ contingunt. Atque id totum non modo summam difficultatem præferret, sed longissimum tempus requirit, excedens vitam non unius hominis, non duorum, non trium, sed plurium, & plurium; ut nec plura sæcula fatis fuerint usque adhuc ad vel minimam Medicinæ partem firmo pede stabiliendam. Heu nimium igitur compertum est, Vitam brevem esse relate ad Artis longitudinem in ipsius constitutione.

ADNOTATIO IV.

Occasio, quæ ab Hippocrate præceps dicitur, duplici ratione potest intelligi, scilicet vel observandi, vel experiendi. Observatio autem & ipsa duplex est, vel ea, quæ profluit a sola animadversione eorum, quæ contingunt, absque eo quod quidquam nos ipsis tribuamus, & dicitur simplex observatio; vel quæ profluit a nonnullis, quæ nobis nos ipsi comparamus, & quorum effectum volumus animadvertere: hæcque vocatur observatio ab experimento, sive experimentalis. Utraque autem fugax omnino est in Medicina, & facillime labi potest, si ad ejusdem inventionem referatur; nequaquam vero si ad practicum exercitium. Nam quot sunt morbi, quot ægroti, quot accidentia morborum ægrotantibus advenientia, tot sunt occasiones Medico practico facile arripiendæ ad quodcumque se prodatur observandum, tum ad animadvertendum effectus eorum, quæ ægris propinavit.

At vero non item in Artis con-

stitutione. Ad hanc enim opus est, si de simplicibus observationibus loquamur, casus multiplices invicem conferre, eorumque circumstantias omnes animadvertere, & memoriæ mandare, quæ ad casuum similitudinem faciunt; eas vero rejicere, quæ ex accidenti omnino occurrunt. Et quoniam casus particulares a quacunque vel levi circumstantia variationem suscipiunt, cum hujusmodi observationes perraro exacte invicem consentientes reperiantur, idcirco nisi summa sedulitate earum instituendarum occasio capiatur, difficile admodum est alios casus invenire in omnibus cum observato plane congruentes: quamobrem occasionum pernicitas maxima est in simplicibus instituendis observationibus.

Verum multo etiam major est in experimentalis observatione, pro qua, præter eandem facilem occasionis pernicitatem ex superius adductis causis, præterea adjungitur summum in experiendo periculum, ut mox ex subsequenti adnotatione constabit: unde evincetur occasionem quoque experiendi maxime fugacem esse ad Medicinam constituendam.

ADNOTATIO V.

Experimentum ab Hippocrate pronuntiatum periculosum, procul dubio medicum est experimentum. Hoc autem duplex est, alterum, quod instituitur extra Hominem, ut si quis ad alicujus remedii naturam explorandam, ipsius artificiali analysi uteretur; alterum vero in Homine ipso fit, habeturque ab exhibitione remediorum ægrotantibus. Primum quidem nullum periculum infert, cum non possit esse nisi aut inutile, aut fallax; sed alterum maxime periculosum existit: nam & incerti exitus est, & in nobilissimo subjecto, Homine videlicet, fit. Neque enim licet, ut experientiam ab experimentis nobis compar-

paremus, plurimam Hominum facere jacturam.

Jam vero de primo experimento locutum non fuisse Hippocratem constat, nisi *ly periculofum* intelligi vellet fallax, infidum, & dubium, quo sensu etsi longam possemus considerare Artis constitutionem, nulli tamen obnoxiam periculo deprehenderemus. Verum experimentum in Homine faciendum non modo periculo est plenum, sed raro etiam occurrit faciendum, & si quando occurrat ipsum posse institui, tot debent a Medico animadverti relate & ad ægritudinum similitudinem, & ad notas medicamentorum, ut ad suas classes apte referantur, & ad exteriora, regiones videlicet, anni tempora, annorum ipsas constitutiones, ætates, & ad ægrum ipsum, atque assidentes, de quibus inferius dicemus, ne in ægrorum eorundem perniciem experimenta convertantur, ut fere impossibile sit, omnes circumstantias assequi, quibus quidquam possumus in Homine experiri. Siquidem autem experiendi hæc opportunitas aliquando adveniat, difficillimum est ut iterum habeatur, ac propterea & occasio experiendi fugacissima est, & ut ait divinus Senex, omnino præceptus. Quod si labilis adeo est, & periculi plena occasio experiendi in Homine, non minus facile labetur occasio observandi ex ipso experimento.

Experimentum autem licet in secunda significatione sumptum periculofum intelligi possit, & re ipsa hujusmodi sit relate ad Medicinam ad opus descendantem; ad docentem tamen, sive prima, sive secunda ratione fumatur, spectare nullo modo potest. Neque enim experimentis faciendis utitur qui alios instituere debet, sed factis, & repetitis, & quorum exitum compertum habeat, ita ut de eisdem scientiam ab experientia jam acquisiverit; quamobrem neque de habitu acquisito potest intelligi.

ADNOTATIO VI.

Judicium in Arte medica intelligi potest cum Galeno in Commento & pro secunda, & pro tertia mentis operatione, & utroque nomine jure dici potuit ab Hippocrate difficile; id quod si de ulla alia Medicinæ acceptione affirmari potest, certe de ejus constitutione. Cum enim, ut dictum est, Artis constitutio ab experientia, observatione, & ratione profuatur, experientia autem, ut probatum est, difficillime possit comparari ob summam occasionis pernicitatem tum in observando, tum in experiendo; æque difficile est, de observatis, expertisque certa judicia ferre, idest quidquam certo aut affirmare, aut negare, multoque magis certas ex iis trahere consequentias: tumque maxime quia medica Ars illis innititur principiis, quæ nullam præferunt certitudinem, quæque conjectura tantum assequi possunt.

ADNOTATIO VII.

Postrema Aphorismi particula, in qua ait Hippocrates = *Non solum se ipsum prestare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora* = etiam si ad Medicinam ad opus descendantem apprimere faciat, æque tamen referatur ad Artis constitutionem, non vero ad alias Medicinæ acceptiones, quæ nullum involvunt nec ægri, nec assidentium, nec exteriorum concursum.

Hæc utique ad Artis constitutionem plurimum conferunt. Nisi enim æger integerrimus fuerit in omnibus, nullaque alteratione facta, Medico narrantis illis, quæ ipsi accidunt, nisi promptus fuerit & accuratus, obediens ad ea omnia exequenda, quæ ipsi oportune præcepit Medicus, difficile prorsus Medico erit ullam posse observationem

variationem facere, ullumque instituire experimentum; ex quibus quidquam certi possit eruere. Ita porro assistentes, qui in aëri subsidium in iis, quæ ipse non potest, ingenui in referendo esse debent, seduli vero in subsidium Medici, tum in observando, tum in parandis, propinandisque ægrotanti medicinis a Medico præscriptis, & exacti in servandis horis opportunis pro exhibitione tum medicamentorum eorundem, tum cibi, tumque in aliis omnibus ad rectam diætandi rationem, & quamlibet aliam Medici præscriptionem spectantibus, fideles ni fuerint, & diligentissimi (quales heu nimium paucissimi reperiuntur) quam difficile futurum sit Medico observationes, & experimenta ad bonam frugem redigere, tam apertum est, quam quod apertissimum. Nihil dico de exterorum concursu; nihil enim proclivius occurrit, quam quod ob vel aeris injurias, vel ventorum flatus, vel annorum constitutiones, vel adversantem morbo regionem, vel pravam cubiculorum custodiam, vel alia id census multa, male cedant ea, quæ sapientissime cæteroquin a Medico, & appositisime erant instituta.

COROLLARIUM.

CUm itaque, ut in expositione indicavimus, fuscè autem in Adnotationibus probavimus, totus Aphorismus apte referatur ad probandam Artem medicam longam in sui constitutione, non vero in alia qualibet acceptione, nisi respectu nonnullarum ex his quo ad aliquas ejus particulas, quo ad nullas vero respectu aliarum; maxime autem deceat, unitatem sententiæ servare in universo Aphorismo,

singulisque ejusdem partibus; neque enim ex quacunque vel levi causa ad plura trahendus est Aphorismus, ut Galenus, & cum eo Commentatores fere omnes faciunt, asserentes intelligi eum debere partim de Medicina docente, partim de agente (qua in re injuriæ in divinum Senem sunt, non modo quia in unica sententia ad plura inter se diversa respexisset, quod doctrinæ inconstantiam accusat in cordatissimo cæteroquin Auctore, verum etiam quia in digerendis suo loco Aphorismi particulis præposterum servasset ordinem, præponendo pernicitatem occasionis, quæ manifeste ad opus spectat, difficultati judicii, quod ad opus nulla ratione dirigi potest); sequitur, in conscribendis Aphorismis, qui sententiæ sunt separata, succi plene, & veritatem quam possunt obtinere præferentes, non aliam esse potuisse Hippocratis intentionem, nisi colligere in hisce libris ea, quæ ex Prædecessorum suorum scriptis, & ore, quæque propria diutina observatione explorata compererat; sicque his segregatis ab illis, quæ tum in Antiquorum scriptis, tum quoque in suis minus firmo pede procedunt, posteris relinquere certorum monumentorum suppellestem, ut ipsi novo labore ad Artis incrementum alia congerere possent non minus firma, & comperta. Quod quidem opus cum ad Artifices spectet nitentes Artem augere, rectificare, & quam fieri potest perficere, nullo vero modo ad eos, qui ad Artis acquisitionem ex disciplina anhelant; hinc est, quam injuria criminetur a nonnullis Hippocrates, quod in ipso limine eos deterreat, qui Medicinæ ad discendæ se dedunt.

APHORISMUS II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt; sin minus contra. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant; sin minus contra. Inspecere autem oportet & regionem, & tempus, & aetatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non.

E X P O S I T I O.

Postquam rationem reddidit Hippocrates in primo Aphorismo, cur Medicinam conscribere sumpsit aphoristica methodo, præcepta ipsa Artis incipit in hoc tradere, signa docens, quibus observatione assequi possimus, quænam sit utilis purgatio, quænam vero noxia. Præstabat autem observationem deducere ab iis, quæ Natura sponte operatur, ideoque in hoc secundo Aphorismo signa spontanæ purgationis nobis indicat, sive ea per superiora contingat, sive per inferiora. Et jam patet connexio, intentio, & intentionis ratio.

Licet autem unica sit sententia in toto Aphorismo, in tres tamen partes commode potest distingui; quarum prima qualitatem humoris respicit, contineturque primis verbis *In perturbationibus ventris &c.*, quæ sic probari potest.

Illam purgatio talis est, qualis esse debet, qua educitur noxius humor, & contra. Sed purgatio, qua educitur noxius humor, est utilis, & contra. Ergo purgatio, quæ talis est, qualis esse debet, est utilis, & contra. Sed quæ purgatio utilis est fit cum conferentia, & facili tolerantia, & contra. Ergo purgatio, quæ talis est, qualis esse debet, fit cum conferentia, & facili tolerantia, & contra.

Conferentia autem importat evacuationem noxii humoris, quam morbi ablatio, aut saltem imminutio sequi debet;

40
 levis vero, & facilis tolerantia importat, noxium humorem tantummodo, aut saltem quo ad potissimam partem, evacuatum esse; si enim cum noxio utilis etiam humor magna copia educeretur, profecto levis, & facilis tolerantia haberi non posset.

Venio ad secundam partem, quæ incipit iis verbis *Sic & vasorum inanitio &c.*, qua in particula de eadem spontanea purgatione loqui Hippocratem, mea quidem sententia, facile conjectari possumus; sed relate ad quantitatem, & modum purgationis ipsius. Cum enim quamcunque evacuationem necessario consequatur aliqua vasorum inanitio, profecto id ipsum fieri debet etiam quando purgationes fiunt vel per vomitum, vel per alvum, quæ si in ea quantitate neque deficiente, neque exuberante accidant, quæ requiritur, erunt relate ad quantitatem, & modum tales, quales fieri debent, & consequenter cum conferentia, & tolerantia; sin minus contra.

In tertia parte ait Hippocrates, inspicere oportere regionem, tempus, ætatem, & morbos, in quibus convenit, aut non; indicans, in spontaneis evacuationibus, sive per vomitum, sive per interiora, observandam esse conferentiam, & levem, facilemque tolerantiam relate ad jam dicta. Nam regiones habentur, in quibus purgationes utiliter fiunt, & aliæ in quibus non utiliter; ætates, in quibus unum potius, ac aliud est purgandum; tempora tum quo ad tempestates anni, tum quo ad tempora & universalia, & particularia morborum, in quibus aut purgare, aut non, convenit; morbi tandem, in quibus purgationes, cum conveniunt, debent respondere causis ipsorum.

Atque hic mihi videtur legitimus sensus hujus Aphorismi.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Nomine perturbationis ventris ea cum Hippocrate intelligenda est alvi egestio, quæ præternaturaliter contingit, quæque a naturali ex eo differt, quod naturalis ejiciat ea solum, quæ in intestinis ex Naturæ instituto coacervantur, quæque consistentium est quo ad substantiam, quo ad modum vero excretionis, pacate, & sine tumultu egeruntur: quandoquidem illa, quæ præternaturaliter ejiciuntur, mollia sunt, & fluida, prætereaque confertim educuntur, & cum aliqua vel totius, vel saltem intestinalis systematis alteratione, & commotione, cujus signa sunt ventris rugitus, dolores, lancinationes, aut saltem labor in egestionem, & subsequens aliqua lassitudo.

Nomine autem vomitus intelligitur communiter quidquid per os excernitur, proveniens regulariter a ventriculo, aut ad summum a duodeno intestino, quanquam aliquando, sed raro, ad superiora truduntur quæ in reliquis etiam intestinis stabulantur, veluti in volvulo accidit.

Porro quidquid aut per vomitum, aut per sedem, qua dictum est ratione, excernitur, præternaturaliter fiat oportet. Vomitus enim, ni aliud, certe cum motus naturalis everfione fieri necesse est; in perturbatione autem ventris, licet motus intestinorum naturaliter, quo ad terminum suum, exercentur, violentus tamen evadit, & præternaturalis.

ADNOTATIO II.

Licet tum vomitus, tum alvi perturbatio præternaturaliter exercentur, nihilominus tamen sponte Naturæ accidere possunt. Id enim discrimen

interest inter naturalia, & sponte Naturæ facta, quod naturalia legibus cunctis Naturæ respondere debeant in qualitate, in quantitate, in modo, in tempore; & in quibuscunque aliis circumstantiis; quæ vero sponte Naturæ fiunt, nullum artis auxilium exposcant, sed æque possint esse præternaturalia, ac naturalia. Præternaturalia autem duplicem possunt fortiri effectum prorsus contrarium, scilicet aut in bonum, aut in malum cedere. Si in bonum cedant, a Natura recte operante fieri dicuntur, contra vero a Natura male agente. Contrahendo autem sermonem ad evacuationes, si ad bonum dirigantur, criticæ, si ad malum, symptomaticæ nuncupantur.

ADNOTATIO III.

Opportune Hippocrates in prima hac sua ad Artem spectante sententia observationem proponit eorum, quæ sponte Naturæ contingunt. Nam cum libros Aphorismorum conscripserit (ut nos de primo procemiali Aphorismo interpretati sumus) in gratiam Constitutionis Medicinæ; hæc autem, ut diximus, comparetur ratione, & experientia; cum experientia potissimus cardo sit, super quo ipsa ratio extrui debet, illa autem comparetur multiplici observationum numero, recto digestarum ordine, suisque circumstantiis diligenter adhexarum, & relatarum, præstabat, ut in ipso sententiarum suarum limine indicaret criteria, quibus observatione dignoscere-mus, ac distingueremus ea, quæ a Natura sponte sua fiunt, num critica sint, num symptomatica.

Quoniam vero quæ sponte Natura molitur, alia ad simplices in nostro corpore mutationes pertinent, alia vero ad ea, quæ ex eodem prodeunt;

42
 cum adeo facile non sit illa assequi, æquum idcirco erat, ut ab iis, quæ excernuntur, exordiretur Hippocrates; quæ cum a Natura sponte agente proficiscantur, nullam passâ sunt a remedium admixtione, & actione alterationem. Verum hæc ipsa in duplici differentia constituta sunt; nonnulla enim uniformia adeo, sive confusa se produnt, ut difficile omnino sit eorum individuum naturam attingere, veluti urinæ sunt, saliva, & præ cæteris sudor; quod non item de iis est, quæ per sedem, aut vomitum rejiciuntur, quæ, nisi ex integro, maximam tamen partem sincera prodeunt.

ADNOTATIO IV.

Quidquid e nostro corpore eliminatur, sub generico evacuationis nomine comprehenditur, quorum alia ita e corpore decedunt, ut quod remanet ejusdem naturæ sit cum eo, quod eductum est, veluti in hæmorrhagiis contingit, alia vero ita excernuntur, ut excretum diversæ naturæ sit ab eo, quod in corpore manet. Prima proprie veniunt nomine evacuatorum, reliqua purgatorum, quasi ac humorum massa ab iis, quæ eam inquinabant, expurgata remaneat. Et sic quidem excretio eorum, quæ prodeunt, dicitur proprie purgatio, licet impropria significatione purgationis nomen traductum sit ad egestionem utilium, seu indifferentium, remanentibus noxiis.

Jam vero Hippocrates observanda proponit ea, quæ per superiora, vel per inferiora a Natura sponte ejiciuntur, quæque spontanæ purgationis nomen re ipsa, & peculiari ratione sibi adsciscunt; scilicet ea, quæ utraque indicata via sic expelluntur, ut diversa ab eo sint, quod in corpore remanet; id quod non tam de iis intelligendum est, quæ vel in ventriculo, vel in intestinis, quam de illis, quæ in vasis

universalibus, potissimum vero in arteriis, & venis relinquuntur; diversamque propterea mixtionem, mutamque inter se proportionem adipiscuntur ab ea, quam habebant, antequam quod excretum est excerneretur. Horum autem naturam cum non satis sit per ipsorum qualitates attingere, hinc docet divinus Senex signa infallibilia, quibus diducere possimus, num cum emolumento prodierint, num vero cum noxa, quæ signa conferentia sunt, & facilis tolerantia; quibus signis collatis cum natura humoris excreti, quam cognitam supponit, si præsertim referantur ad circumstantias necessarias, de quibus infra, in dictum judicium nullo negotio, & procul ab omni æquivocatione fas est descendere.

ADNOTATIO V.

Apposite Hippocrates pro signis bonæ purgationis proponit conferentiam, & levem, ac facilem tolerantiam, quæ etsi videntur primo intuitu omnibus nota, nec ideo gravitatem, quæ decet, fervare aphoristicam; nihilominus tamen, si ad prægressam notionem eorum, quæ expurgata sunt, referantur, magni Cui sententia & integram obtinet gravitatem, & docet quod omnibus compertum esse non potest. Quoties enim fit, ut quæ prodire eas præferant sensibiles qualitates, & notas, quæ cum circumstantiis in calce Aphorismi ab Auctore nostro exaratis prorsus convenire videantur, & nihilominus ea educta non sint, quæ educi oportebat? Quamobrem Medici judicium fallax esse possent. Cum igitur satis non sit explorasse excreta in suis qualitibus, & persæpe etiam eadem contulisse cum reliquis ab Hippocrate commemoratis circumstantiis regionis, temporis, & ætatis, quibus adjungere possumus temperamentum, rationem vivendi consuetam

tam ægroti, exercitium ipsi familiare, atque id census alia; oportet propterea animadvertere, num purgatio secuta sit cum conferentia, & levi facilique tolerantia, quæ duo signa Hippocrati observanda visa sunt necessaria, tanquam ea, quæ licet in se, & ad nullam aliam relata observationem revera omnibus nota sint, in Auctoris nostri tamen sensu ea sola sunt, quæ omnem æquivocationem in æstimationibus bonis, aut pravis eductis possunt auferre, & de medio tollere.

Dixi autem, duo hæc signa conferentiæ, & levis, ac facilis tolerantia ea esse, quæ omnem æquivocationem tollere de medio valent in æstimationibus bonis, aut pravis eductis, quod de eisdem collectum sumptis intelligendum est. Si enim sola conferentia haberetur, tolerantia autem gravis esset, equidem expurgatus esset humor peccans, sed tamen cum eo educti essent etiam utiles, & alimentitii magna copia; quamobrem præter virium lapsum, id insuper evenisset, quod ex una cachexia in aliam transitus factus esset, & novus morbus productus. Si vero levis, & facilis tolerantia purgationem secuta esset, sed conferentia nulla, tunc utilia aut nullatenus educta essent, aut in exili admodum quantitate, ut nullum inferre incommodum potuissent, sed humor peccans aut nullus exturbatus e corpore esset, aut vix leviter tactus, ut nullam symptomatum allevationem parere potuisset. Oportet autem, ut in purgatione noxia educantur aut ex integro, ex quo sequitur totalis conferentia, sanitas videlicet, aut saltem ex parte, & sensibilibiter, unde provenit morbi, & symptomatum imminutio. Præterea opus est, ut aut nihil, aut, ni aliter fieri possit, parum utilis humoris cum noxiis trahatur; quamobrem levis, & facilis tolerantia contingat, quam recte omnino cognovit Hippocrates sufficere ad bonam purgationem. Neque

enim Virum diutina experientia edoctum latebat, vix, ac ne vix quidem contingere posse, ut peccans humor ita sincerus in purgatione prodeat, quin utilem quoque aliqua ex parte secum ducat.

ADNOTATIO VI.

Vasorum inanitio, quam commemorat Hippocrates in secunda Aphorismi parte, importat profecto aliquam depletionem vasorum universalium; nervorum videlicet, vasorum lymphaticorum, præ cæteris vero articularum, & venarum, quarum aliqua depletio sequatur necesse est quamcumque evacuationem, sive hæc per alvum, aut per vomitum exerceatur cum purgatione, sive per sudorem, sive per salivationem, sive per diuresim, sive etiam per hæmorrhagias, sive quavis alia ratione, quam vasorum depletionem constat effectum esse evacuationis generatim sumptæ.

Quoniam vero Commentatores fere omnes post Galenum sic interpretantur secundam hujus Aphorismi partem, ut Hippocrates indicare voluerit evacuationes arte factas, & potissimum sanguinis missionem, ii longe nobis a vera magni Cuius intentione aberrare videntur. Neque enim Viri est in suis sententiis constantis, in una ejusdem sententiæ parte de sponte accidentibus verba facere, in alia vero de arte factis; quamobrem de vasorum inanitione, quæ Natura sponte operante in evacuationibus succedit, dicere divinum Senem, autumamus. Atque idcirco videtur Auctor noster respexisse potius spontaneas hæmorrhagias, aut alias superius enuntiatas evacuationes.

Quanquam, si res probe pensetur, licet Aphorismi veritas de his maneat inconcussa; quoniam tamen pro subiecto primæ partis Aphorismi sumpsit purgationem sponte contingentem vel per vomitum, vel per alvinam.

44
 egestionem, consentaneum recto doctrinæ ordini est, de eadem purgatione ipsum loqui in secunda etiam parte, non modo quia ejusdem sententiæ sit pars, sed præterea quia junctæ est primæ parti particulis copulativis, quales sunt *Sic & vasorum &c.* Nemini autem dubium esse debet, quin in purgatione per vomitum, aut per alvum facta, cum non ea solum educantur, quæ in cavo intestinorum, sive ventriculi congesta erant, veram insuper ea, quæ ad primas vias confluunt per omnia glandularum intestinalium, gastricarumque excretoria, tum per ductus coledocum, & pancreaticum, quæ a sanguineis vasis procul dubio deducuntur, sanguinea ipsa vasa gracilia fiant, & in minorem diametrum contrahantur.

ADNOTATIO VII.

Hippocrates eadem signa conferentiæ, & levis facilisque tolerantia extendit ad vasorum inanitionem; inquit enim *si talis fiat, qualis fieri debet.* Qua de re explicandum est, quomodo intelligenda sint verba *talis, qualis fieri debet*, cum de vasorum inanitione sermo est. Facile quidem intelligitur, verba primæ partis *si talia purgentur, qualia purgari oportet*, referenda esse ad humorum purgatorum naturam, & essentiam, seu ad qualitates, & affectiones, per quas de eorum natura, & essentia constat; at vero non item loquendo de vasorum inanitione, idest depletione, quæ quantitatem humoris educiti appellit; magis enim, aut minus deplentur vasa, prout plus, aut minus ex iis educitur. Propterea fit, ut ad naturam, seu qualitates humoris excreti verba *talis, qualis fieri debet* aptari non possint. Oportebit igitur, ut ad quantitatem educiti humoris referantur.

Jam vero juxta nostram interpretationem, qua restrinximus secundam

Aphorismi partem ad illam vasorum depletionem, quæ consequitur purgationem sponte Naturæ celebratam per superiora, vel per inferiora, ad hanc præcise erunt referenda. Sicuti ergo vasorum depletio effectus necessario consecutivus est purgationis, ita depletionis immediatus effectus est eorundem vasorum gracilitas a constrictione orta; vasa enim omnia universaliter, utpote tunicis instructa naturaliter distractilibus, & contractilibus, a repletione distractionem patiuntur, contra ab inanitione restitui debent, & contrahi; id quod cum de universis vasis verum est, tum vero maxime de sanguineis constat, quæ præter naturalem distractibilitatem, & contractibilitatem, obtinuerunt præterea carneas fibras, quæ animali contractibilitate potitæ sunt: & distractæ cum fuerint, majorem nifum exercent suæ contractibilitatis. Cum autem gracilitas, aut ampliatio adveniens vasis a contracta, vel amplificata eorum sectione, sit qualitas quædam, hinc inanitio recte dicitur ab Hippocrate *si talis fiat, qualis fieri debet*: & quoniam inanitio major fit, aut minor, juxta majorem, minoremve quantitatem humoris e vasis decedentis, hinc loquendo de inanitione vasorum subsequente purgationem factam per ventris perturbationem, sive per vomitum, ad excreta nullam aliam relationem habere possunt dicta verba, nisi quo ad eorundem quantitatem.

Quomodo autem conferentia, & levis, ac facilis tolerantia signa esse queant humoris peccantis educiti in purgatione, non modo secundum quale, sed etiam secundum quantum, quin immo secundum modum quoque, facile apparebit animadvertenti, fieri quandoque posse, ut humor peccans educatur quidem, sed non in ea quantitate, quæ valeat morbum, ejusque symptomata, sensibilibiter saltem, minuire, unde nulla sequatur, saltem
 quo

quo ad sensum, conferentia. Ex ad-
verso evenire potest, ut tanta copia
peccans humor eliminetur, ut etiamsi
utilis vix leviter attractus sit, tamen
vires insigniter labascerent; indeque
gravissima contingeret tolerantia, me-
lius dixerim, maxima sequeretur into-
lerantia, veluti in puris, & ascitico-
rum aquæ educatione persæpe eviden-
tissime accidit, si aut illud, aut hæc
magna copia, & tota simul unica vi-
ce extrahatur. Multo autem major ade-
rit intolerantia, si præter magnam hu-
morum peccantium quantitatem, utiles
præterea large emittantur. Quemadmo-
dum igitur humores purgatos, si fue-
rint *tales, quales purgari oportet*, idest
noxii, & peccantes, & quam fieri po-
test sinceri, sequitur conferentia, &
facilis, ac levis tolerantia, ita hæc
eadem sequantur necesse est, si iidem
fuerint educti in quantitate convenien-
ti, hoc est neque deficiente, neque
excedente, id quod importat consecuti-
ve inanitionem fieri talem, qualis
fieri debet.

ADNOTATIO VIII.

TUM primam, tum secundam partem
Aphorismi claudit Hippocrates,
dicendo *sin minus contra*; quo satis
ex dictis intelligitur, significare velle,
inconferentiam, & gravem, aut nul-
lam tolerantiam securam esse, si hu-
mores educti noxii non fuerint, sed
utiles, neque in conveniente quantita-
te; qua in re nihil amplius immora-
mur, cum tota doctrina superius alla-
ta, contrariis tamen rationibus, ipsi
aptari possit, juxta commune axioma
contrariorum eadem est disciplina.

ADNOTATIO IX.

AD rectum judicium ferendum de
purgationibus sive per alvum,
sive per vomitum a Natura sponte sua
operante institutis, ex signis, ab Hip-

pocrate propositis, cæteroquin certis,
& infallibilibus conferentiæ; & levis,
facilisque tolerantia, non satis est ob-
servare & qualitatem humoris excreti,
idest ejus essentiam, & affectiones
quascunque, tum quoque quantitatem,
ad quam refertur, ut diximus, vaso-
rum inanitio, sed insuper observare
oportet circumstantias omnes & regio-
nis, & temporis, & ætatis, & mor-
bi, in quibus spontaneæ purgationes
contingunt. Hæc enim ab Hippocrate
selecta tanquam præcipua animadver-
tenda, & plura alia, quæ nos leviter
adnotatione quinta hujus Aphorismi
indicavimus, ea sunt, quæ alicujus
usus medici reddunt Aphorismum, qui
alioquin iners maneret, nulliusque
utilitatis. Ad quid enim novisse, eva-
cuatum esse humorem noxium, & in
convenienti quantitate, nisi, perspe-
ctis qualitibus, seu affectionibus hu-
moris educti, perspectaque quantitate,
qua in singulis evacuationibus eductus
fuit cum conferentia, & levi, facili-
que tolerantia, simul etiam animad-
vertatur & in quo morbo, & quo
tempore, & qua in regione, ætate &c.
eductus est? At, vero si ad hæc, &
plura alia conferantur observationes
factæ circa qualitatem, & quantita-
tem humoris purgati cum conferentia,
& levi, ac facili tolerantia, profecto
magna hæc utilitas eveniet, ut ex
pluribus consimilibus observationibus
una invicem respondentibus, quo ad
circumstantias has, talis emergat expe-
rientia, per quam tandem regula me-
dica firmari possit: scilicet in certo
determinato morbo, certa in regione,
certo tempore, certa in ægri ætate &c.,
quoties per artem ad similitudinem,
Naturæ sponte, & recte agentis purga-
tio facienda occurret, eundem humo-
rem, iisdem præditum qualitibus, &
ea circiter quantitate per singulas vi-
ces esse purgandum, qui in similibus
circumstantiis a Natura deturbatus fuit.
Unde consequitur utilissima electio
phar-

pharmacum adhibendi (neque enim quodlibet pharmacum æque aptum est purgare quemlibet noxium humorem), & pharmaci electione facta, ejusdem convenientis dosis determinatio, ut valeat eam humoris noxii quantitatem expellere, quæ tolerari ab ægro possit.

ADNOTATIO X.

Non sine summo consilio igitur claudit Aphorismum Hippocrates, dicendo *Inspicere itaque oportet regionem, tempus, ætatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non.* Ubi verbum illud *inspicere* manifeste importat observationem faciendam circa ea, quæ proponit, quæ ea re sedulo sunt animadvertenda, ut judicari sine æquivocatione possit, num humor peccans eductus cum conferentia, & levi, facillique tolerantia sit vere ejus qualitatis, & in ea expulsus quantitate, quæ convenit. Hujus observationis utilitas ut pateat, nonnulla adnotanda remanent circa exposita ab Hippocrate.

Et primum morbi diligentissime observandi sunt in sua integra natura, idest in sua essentia tum generica, tum specifica, tum etiam individua; nam omnes fere morbi aut idiopathici esse possunt, aut sympathici; & siquidem sympathici sint, nullam aliam, aut certe paulo majorem considerationem requirunt, quam exigant morborum idiopaticorum symptomata; idest nequaquam respiciendi sunt primario, & per se, sed secundario tantum, & relate ad eum morbum, a quo originem suam traxerunt. Præterea quilibet morbus idiopaticus, quanquam eandem conjunctam causam semper cognoscit, hanc tamen obtinuisse potest a pluribus admodum inter se diversis antecedentibus causis, ad quas sæpe, ni semper, præsertim si vigentes conferentur, magis animadvertere debet Medicus, quam ad ipsas conjunctas; illis enim victis, hæc quoque ut plu-

rimum superata sunt, aut ad summum, cum veluti permanentes, & consecuti- vi antecedentium effectus sint, non tam difficile remanent subjugandæ. Quoniam vero ad hæc cognoscenda requiritur exacta & causarum procarticarum, & accidentium, sive symptomatum animadversio; ideoque sub diligenti examine sunt & illæ, & hæc subjicienda, ut eorum influxus, & concursus ad morbos procreandos innotescant, horum vero diligenti observatione, collatione inter se, & in suas causas resolutione, de morbi natura, & essentia usque individuali certiores fiamus, deque peculiari ejusdem characterere. Plura forte alia in ordine ad morborum observationes præstanda sunt, quæ brevitate gratia omittimus.

Quo ad tempus, hoc dupliciter intelligi potest, scilicet aut tempestas anni, aut tempus morbi. Et quo ad tempestates anni, modo purgatio conveniet, modo non, modo unius evacuatio, modo alterius: Sic Hippocrates quinto sectionis quartæ Aphorismo asserit, *In cane, & ante canem difficiles esse purgationes.* Quod vero spectat ad tempus morbi, hoc iterum sub duplici differentia sumi potest, vel pro tempore morbi universali, vel pro particulari. Observandum autem procul dubio est, quo morbi tempore, utraque ratione sumpto Natura sponte moliri purgationes consueverit. Hinc cum constiterit Hippocrati, Naturam sponte non expellere humores noxios cum ægri utilitate, nisi aut prope morborum declinationem, quando peccans humor jam concoctus est, aut in initio, quando materia eadem, licet cruda, tamen turget; regulam de purgatione arte faciendam stabilivit vigesimo secundo hujus primæ sectionis Aphorismo, *Concocta medicari, non cruda, neque in principiiis, nisi materia turgeat.* Ita porro quoniam idem Artus Magister ex multiplici observatio-

ne cognoverat, materiam peccantem ad suam coctionem perductam facilius vergere ad inferiora, crudam vero, & turgentem ad superiora; in morbis vero periodicis si quid cocti habetur, id esse tempore intermissionis, quandoquidem in exacerbationibus, cum omnia in motu sint, nonnisi cruda habentur, ideoque non educenda, nisi turgeant; hinc quinto Epidemiorum agrote vigesimo quinto docet, *agros inferius purgandos esse in intermissionibus, sursum vero in exacerbationibus.*

Regiones tandem, & ætates docet Hippocrates considerandas esse; quoniam, si de regionibus loquamur, constat, non in omnibus regionibus æque utiliter purgationes institui; regiones enim septentrionales magis congruæ sunt purgationi, minus australis, ita ut morborum eorundem solutio diversis in regionibus diversa sit. Neque eadem ubique sunt purganda; in australibus namque locis, ubi clima fervidius est, biliosi potius, in septentrionalibus vero feroli, & pituitosi humores erunt educendi. Ita transitum facientes ad ætates, cum in pueris, & adolescentibus plus calidi innati sit, quam in senibus, in his pituita, in illis bilis potius erit evacuanda. Et de regionibus quidem, atque de ætatibus idem observandum esse docet Galenus libro Quos, quando, & quomodo purgare conveniat inscripto, quod de anni tempestatibus quoque animadvertere oportet, cum illa his respondent. Quod spectat ad alia, quæ addi jure possent a nobis, superfedemus, tum ne in immensum adnotationes hæc super hoc Aphorismo excrefcant, tum quia aliis in locis aptior forte opportunitas dabitur de iis verba faciendi.

COROLLARIUM.

EX adnotationibus a nobis hactenus factis deducitur, Hippocratis mentem non fuisse tradere hoc loco

regulam ullam purgationis arte faciendæ, quarum nonnullas in fine hujus primæ Aphorismorum sectionis, alias alibi reservavit; sed quidem ostendere fontem, ex quo non modo eruantur purgationis opportune instituendæ dogmata, sed præterea causæ morbum facientis cognitio; nempe ostendere Naturam ipsam sua sponte, & provide agentem, quam deinde imitari decet Artificem, id unice præstando, ut vel quoties occurrant impedimenta Naturam a critico suo opere distrahentia, eadem removeat, vel vires eidem, si nimis debilis sit, addat; uno verbo omnia ministret, quæ opportuna esse ex alias factis observacionibus constiterit.

Atque hoc fieri ab Hippocrate in sui operis initio maxime decebat, nempe non ut regulas daret nullo firmatas principio, sed ut fontem earundem regularum indicaret; nimirum observacionem inculcaret spontaneæ morborum solutionis, quæ per alvum, aut per vomitum fit, copulandam cum observacionibus circumstantiarum regionis, ætatis, temporis, & morbi ipsius, ex qua observacione ipse idem summus Artis Magister præceptum deducit secundo sectionis quartæ Aphorismo *In medicationibus talia educere oportere, qualia sponte prodeuntia utilia, quæ vero contrario modo prodeunt, cohibenda.*

SCHOLIUM.

PROlata ab Hippocrate signa ad regulam, utilemque statuendam morborum solutionem, per alvum, sive per vomitum contingentem; scilicet conferentia, & facilis tolerantia, æque valere possunt pro quibuscunque aliis spontaneis evacuacionibus, quin etiam criticis Naturæ motibus; ita ut verum sit asserere, *In quibuscunque spontaneis agrorum moribus si talia fiant, qualia fieri convenit, conferunt, & leviter*
role-

tolerantur, sin minus contra; inspicere autem oportet circumstantias omnes ad rem facientes, præsertim vero regionis, temporis, ætatis, & morbi, in quibus conveniunt, aut non.

Hic autem Aphorismus multo est hippocratico universalior, & non minus verus, immo magis etiam ad veritatem comparatus: etenim, si verum fateri liceat, non modo regio, ætas, tempus, & morbus circumstantiis an-

numerari exposcunt, sed, quemadmodum adnotatione quinta indicavimus, multo plura, quorum nonnulla ad causam facere, alia non, pro re nata reperientur. Requiritur idcirco in Observatore doctrina, & solertia talis, quæ utiles circumstantias respiciat, rejiciat inutiles, ut ex observationibus rite, sincere, & recte habitis, agendorum regulæ hippocratico more elici possint, & ex iis Ars constitui.

APHORISMUS III.

Habitus exercitatorum, qui summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum vero non quiescant, neque possint proficere in melius; reliquum est, ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim solvere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ (periculosum enim) sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit; sic & evacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosa, & rursus refectioes, cum extrema fuerint, periculosa.

EXPOSITIO.

Proposuit Hippocrates præcedenti Aphorismo signa, quibus dignoscantur purgationes a Natura institutæ, quatenus bonæ sunt, aut malæ. Non sine summo consilio transit in hoc Aphorismo ad indicandum signum præcipuum humorum sola quantitate exuberantium, quod Athletarum facit exemplo. Signum est summum bonitatis, & in ejus extremo consistentia, quod cum adfuerit, docet divinus Senex, bonum habitum statim esse solvendum. Horum autem suas adducit rationes, sicque, ut ego opinor, ratiocinatur.

Ille est habitus Exercitatorum, sive plenitudinem tantum habens, qui summum bonitatis attingit, & in ejus extremo

confistit. Sed talis habitus statim solvendus est. Ergo habitus Exercitatorum, sive qui plenitudinem tantum humorum habet, statim solvendus est.

Probatur minor. Habitus, qui summum bonitatis attingit, & in ejus extremo consistit, is est, ut in melius proficere non possit, sed in deterius ruere debeat. Sed habitus hujusmodi statim debet solvi. Ergo habitus, qui summum bonitatis attingit, & in ejus extremo consistit, statim solvendus est.

Patet autem, habitum eum, qui in summo bonitatis est, & in ejus extremo consistit, proficere non posse, & in deterius ruere debere. Cum enim sanguis perpetuo motu, tum circulari, tum agitato, agatur, statim ac ad eam devenerit quantitatem, ob quam non amplius libere moveri possit utroque dicto motu, necessario plura & gravissima mala eventura erunt. Hinc Hippocrates moralem adducit rationem, cur Athletarum habitus statim solvendus sit; scilicet, ut corpus denuo nutririi incipiat, id est ut locus detur novo sanguineæ massæ incremento.

Quoniam vero habitus pleni exsolutio debet proportionem habere excessui plenitudinem ponenti, hic autem excessus generaliter in omnibus determinari nequit, propterea subdit divinus Senex, compressiones eo ducendas non esse, ut vasa concidant, quod æque periculosum est; sed qualis fuerit natura ejus, qui debet perferre: cujus quidem periculi ratio evidens est; si enim vasa plus depleantur, quam deceat, fieri non potest, quin nimium languescant supradicti motus sanguinis; unde plurimi oboriri possunt morbi, primis quidem oppositi, sed & ipsi gravissimi.

Ex his duo veluti generalia corollaria deducit Artis Magister; nempe & evacuationes ad extremum deductas, & refectiones extremas esse periculosas. Evacuaciones namque extremæ, quæcunque fuerint, cum plus educant, quam educere conveniat, etiam si tollant unam sanguinis discrasiam, aliam ponunt. Ergo periculosæ. Refectiones vero extremæ cum

proportionem habere non possint cum viribus alimentorum, concoctricibus, neque sanguificantibus, propterea & ipsa discrasiam ponere debent. Ergo periculosa.

Hic mihi videtur legitimus hujus Aphorismi sensus; qui licet in plures partes dividi potuisset, cum tamen unicam contineat doctrinam, tum nonnulla ipsius confectaria, idcirco mihi visus est pro unica sententia proferendus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Hippocrates in hoc Aphorismo de quantitate dicit humorum nulla qualitate peccantium, cujus rei signum infallibile est summum bonitatis, & consistentia in extremo bonitatis ejusdem, quod animadvertendum proponit in athletico habitu, quodque nullum omnino vitium in qualitate potest præferre. Ad hujus rei intelligentiam in memoriam revocare oportet, corpus nostrum ex solidis, & fluidis constare; fluida autem in duplici differentia considerari posse, alia, quæ sensui obvia fiunt, alia tenuia adeo, ut sensus nostros fugiant, quæ spiritus nomine veniunt apud nos, Galenus vero impetum facientia nuncupabat; sicuti partes solidas dicebant continentes Prisci, & fluidas crassiores sub sensum cadentes contentas appellabant. Jam vero neque de continentibus, neque de impetum facientibus sermonem hic habere Hippocratem constat, quamobrem restat, ut de contentis, quas etiam humores vocabant, verba faciat.

Humorum autem duo sunt genera, alii namque toti prospiciunt corpori, alii peculiaribus partibus. Pro illis peculiari ratione intelligendus est sanguis, a cujus penu reliqui omnes suam ducunt originem. Sed cum de peculiaribus loqui non potuerit Hip-

ocrates, habitum namque corporis universalem proponit considerandum; idcirco fit, ut de sanguine tantum dixisse intenderit: eoque maxime quia hujus conditiones, dummodo continentes solidæ partes nullo vitio laborent, sequi particulares etiam oportet, ita ut, sanguine bono existente, boni etiam sint reliqui humores, pravi vero evadant, eo male constituto.

At vero sanguis, licet tribus vitiorum generibus obnoxius sit, in qualitate videlicet, in quantitate, & in motu; quoniam tamen sanguinis circuitus, cum Priscis omnibus, sic quoque Hippocrati ignotus erat, propterea hic, & Antiqui omnes ad duo tantum respexerunt, ad vitia nempe qualitatis, & ad ea quantitatis, ex quorum conjunctione tertium veluti vitii genus fecerunt in qualitate simul, & in quantitate. Prima discrasiam ponunt, quam aiebant cacochymiam, secunda plenitudinem plethoram vocatam, ex quibus simul junctis plethora cacochymia, sive cacochymia plethorica a Veteribus constituebatur. De cacochymia, sive plethorica, sive non, dixit Hippocrates secundo Aphorismo primæ hujus sectionis; recto itaque ordine transit in hoc ad plethoram considerandam.

ADNOTATIO II.

Summum bonitatis, & in ejus extremo consistentia, signum est ab Hippocrate adductum ad indicandam humorum plenitudinem nullo qualitatis vitio peccantium; id quod, veluti exemplo, commonstrare videtur inducendo habitum Athletarum, eorum nimirum, qui quibuscunque laboriosis exercitiis dediti erant, & ad quæ assidue in Gymnasiis se dicabant. Verum ut constet, quomodo habitus Athletarum ad summum bonitatis veheretur, præstat nonnulla circa gymnasticam Artem animadvertere.

Ars igitur gymnastica illa erat, cui Homines varia corporis exercitatione indulgebant, ut expediti ad motum, & robore valentes redderentur. Ea autem tripliciter distinguebatur, tum ratione exercitiorum, tum ratione finis; & alia gymnastica medica, alia bellica, alia athletica appellabatur. Prima pro fine certam quandam sanitatis perfectionem habebat; secunda robur, & agilitatem corporis, unde hostes in bello facile vincere possent; tertia demum non modo robur, & agilitatem, sed miram quandam, ut ita dicam, torositatem, per quam in Circis, & Palæstris ludorum, cursuum, & certaminum præstantia supra cæteros omnes, plausus, præmia, & coronas, uti victores, possent reportare.

Porro a gymnasticis exercitiis quatuor producuntur effectus. Primus est facilis articularum motus, qui ex frequenti excursu, & confricatione ossium inter se obtinetur, quo si quid stagnans est in motum adigitur, si quid fixum excutitur, si quid concretum exolvitur; prætereaque muscoli proniores ad motum, agiliores, & robustiores evadunt. Secundus effectus est, vias sanguinis, & spirituum expeditas, & facile pervias reddere, vel conservare; id quod ab aucto sangui-

nis motu Exercitatoribus obvenit, per quem si quid in extremis vasorum hæret propellitur, abraditur, & circulationi restituitur. Tertius effectus est vasorum sanguinis, & spirituum excursui dicatorum amplificatio; necesse etenim est, in musculari motu sanguinis circulum in musculis retardari, & aliquantulum intercepti; unde tumentibus musculis, eorum sanguinea vasa, & nervi comprimuntur, qua de causa retardato sanguinis, & spirituum motu, in reliquis vasorum tractibus turgescentia oboritur, & ex turgescentia amplificatio. Quartus tandem gymnasticorum exercitiorum effectus est plurimi sanguinis generatio, qui quidem effectus non per se ab exercitiis gymnasticis, & immediate proficiscitur, sed per consequens, cum qui exercentur summum spirituum dispendium patiantur, ideoque refectioe indigeant, per quam sanguinem ea quantitate, atque etiam qualitate congerant, qui spiritus in necessaria copia possit suppeditare, ut viribus supra consuetam humanam conditionem queant valere.

Jam vero qui in gymnastica medica sese exercebant, ea eligeant exercitia, quibus non quidem ad summum bonitatis pertingerent, sed tantum ad membrorum agilitatem, motumque promptum, tum ad liberum acquirendum, & conservandum vasorum inter se commercium. Atque hoc exercitii genus summis laudibus ab Autoribus efferebatur, potissimum vero ab Hippocrate nostro sexto Epidemiorum, sectione tertia, & libro tertio de Diæta, numero vigesimo quarto, tum etiam a Galeno libro de *tuenda valetudine ad Thrasibulum*, & libro de *parva pila ludo*; idque ex eo, quod hi nec laboriosa admodum susceperent, nec frequentissime; sed ex tantum, atque in ea mediocritate, quæ ipsis sufficiebat ad optatum commodæ sanitatis finem obtinendum. Qui vero

in Gymnasiis sese exercebant; ut corpus ad bellum aptum sibi compararent, paulo laboriosioribus se dedebant exercitationibus, & iis præcipue, quæ ad sibi propositum scopum apprime faciebant, quamobrem gymnastica bellica vix quicquam gradu differebat a medica, ut plurimum electione exercitiorum, eorum videlicet, per quæ eam præcise agilitatem, & promptitudinem membrorum, & corporis adipiscerentur, illudque robur nanciscerentur, quo in bello indigebant. Non ita Athletæ, qui in Gymnasiis cuiuscunque generis labores etiam violentissimos sustinebant, & frequentissime, unde incredibilis prorsus virium præstantiæ se proderent in cursibus, in certaminibus, aliisque id census, in quibus unice contententes ad gloriam, & præmia sibi captanda, nullis omnino laboribus indulgebant. Quoniam vero in violentis, & continuatibus motibus ingentem virium jacturam fieri necesse est, hinc & copiosissimis, & crassioribus cibis vescerentur, ut jugiter haberent unde novos elicerent spiritus, quibus in violentis suis exercitationibus possent perdurare. Qua in re cum corpore maxime valentes, & expeditissimi evaderent, profecto necesse est, ut summum illud bonitatis attingerent, quod importat in omnibus animalibus functionibus perfectionem; sed quoniam hæc proportionales esse debent vitalibus, & naturalibus, quin immo ab his illæ tanquam a sua causa dependent, fieri non potest, quin & vitales, & naturales in summo perfectionis consisterent. Jure propterea Athletarum habitum proposuit Hippocrates ad indicandam humorum multitudinem nullo qualitatis vitio peccantium, quem tamen periculosum æque, jure & merito pronuntiavit, ut in sequenti adnotatione apparebit.

ADNOTATIO III.

Athleticum habitum, qui summum bonitatis attigerit, periculosum pronuntiavit Hippocrates, addendo si in extremo confiterit; quod etsi idem est, ac summum bonitatis attingere, nescio quid tamen magis videtur significare; hoc est terminum illum ultimum in summo, ultra quem nullus alius obtineri potest in bonitate, idest summam, & extremam plenitudinem. Causam vero hujus periculi generalem, & moralem adducit, valentem quidem propositionem suam, persuadere, non intellectum docere. Est autem quia qui talem acquisiverunt habitum, cum non possint in eo permanere, neque proficere, necessario in deterius ruere debent: quæ hippocratica ratio axiomati cuidam universali, & in naturalibus, quorum actio in motu locali consistit, verissimo, utpote experientia confirmato, inniti videtur, videlicet, omnia, quæ in hac rerum universitate sunt, perpetuo subijci fluxui, & in perenni quadam augmenti, vel decrementi mutatione esse, cum transitu ex uno in aliud extremum. Cum igitur Athletæ, qui summum, & extremum consistentiæ in bonitate adepti sunt, non possint ulteriorem ejusdem bonitatis gradum nancisci, consequens est, ut retrocedant, in qua retrocessione imminet gravissima infortunia, ut testatur Galenus in commento hujus loci, & tertio de Sanitate tuenda, quibus in locis commemorat Athletas nonnullos subita morte interemptos, alios repente aphonos factos, alios sensu, motuque privatos, eos vero, qui mitiora passi sunt, sanguinem vomuisse, vel expuisse. At vero quoniam Hippocrates nullam physicam enuntiat periculi rationem adducit, nec quale periculum imminet; placet propterea nobis in hanc rem inquirere, & expli-

explicare quomodo ex habitu summe, & extreme plethorico, non solum morbi a Galeno citatis locis memorati, sed & alii plures possint oboriri.

Constat perfecto, sanguine bonæ constitutionis existente, si cætera omnia consentiant, ex necessitate consequentiæ oportere, ut functiones omnes cuiuscunque generis rite, recteque perficiantur. Sed quoniam sanitas plures gradus obtinet remissionis, intensivæ, cum sanguis promptuarium illud sit, ex quo tum spiritus animales ad solidas partes actuandas, & vivificandas eliciuntur, tum cæteri humores omnes derivantur ad innumerabilia pene, quæ in nostro corpore requiruntur, peragenda; hinc est, ut quo plus sanguinis in arteriis, & venis congeratur, eo etiam plus materiæ suppeditandum sit ad spirituum animalium, cæterorumque humorum uberiores separationem, quibus singulis uberius ad suas partes confluentibus, sequitur, actiones etiam quascunque vegetiores obventuras esse, & perfectiores.

Hæc omnia vera deprehenduntur, quousque sanguis intra vasa colligatur in ea quantitate, qua suis muneribus rite obeundis sat erit, videlicet quousque libere ab eodem abscedere poterunt quæcunque ad dictos fecernendos humores requiruntur. Constat namque duobus semper motibus potiri debere sanguinem, altero circummissionis a Corde ad partes per arterias, & ab his per venas iterum in Cor, altero suorum componentium agitativo, per quem ejus partes contiguæ quidem perpetuo maneant, sed ita ab invicem divulsæ, ut in mutuum amplexum nunquam ferantur. Hic vero ut ab ipsius sanguinis componentium natura ex parte profisciscitur, ita vel maxime a circulari motu dependet, quamobrem hoc languescente, & illum languescere oportet. At motus hos exerceri utriusque non sufficit, nam certam quan-

dam vim, & energiam expostulant, quam a Corde potissimum, & ab arteriis mutuuntur. Cor autem, & arteriæ requisitam vim exercere non poterunt, nisi suis motibus systoles, & diastoles prompte, & ad spatii necessariam mensuram obtemperare ex Naturæ legibus potuerint: certum enim quoddam æquilibrium exposcitur inter duas dictas moventes sanguinem potentias, quo quanta vi Cor propellere valet sanguinem in arterias, unde dilatentur, eadem arteriæ queant sese restituere, unde sanguis in progressu ad venas æquali vi impellatur, quæ in arterias fuit trusus.

At vero æquilibrium hoc, ni exactum, quantum tamen sufficit, ut nulla in animali œconomia perturbatio contingat, conservabitur, donec resistentiæ a dictis viribus superandæ in certa & ipsæ inter se æquipollentia perdurabunt. Certum enim est, si vires v. g. ab arteriis superandæ majores fuerint, quam quæ Cordi objiciuntur, fore ut vires Cordis, & arteriarum non amplius mansuræ sint in dicto inter se requisito æquilibrio. Quoniam vero præcipuæ, & universales resistentiæ a Corde superandæ sunt sanguis in sinistro Cordis thalamo existens propellendus in arterias, sanguis in universis contractis arteriis antecedenter contentus, & robur tunicarum arteriarum omnium a Corde usque ad singulas earundem extremitates; resistentiæ vero ab arteriis in suam systolem nitentibus superandæ sunt sanguis in iisdem diastoles tempore contentus, sanguis universas perfluens venas a singulis radicibus suis usque ad Cor, & venarum omnium tunicarum vis: quousque resistentiæ hæ certam quandam æqualitatis mensuram cum illis servabunt, vires etiam arteriarum, & Cordis in requisito manebunt æquilibrio.

Hiscæ positis, videndum nunc est quomodo æquilibrium dictum inter vi-

res Cordis, & arteriarum ob nimiam sanguinis plenitudinem tolli possit, in quo tota periculi ratio ab Hippocrate enuntiati consistit. Si bonus habitus ad illud effectus fuerit bonitatis summum, & illud extremum consistentiæ bonitatis ejusdem, ut in bonum nihil amplius proficere possit, tunc facile apparebit, quot, & quam gravia mala inde valeant oboriri. Qua in re opus est animadvertere, multo majorem esse vim, qua arteriæ resistunt sanguini intra ipsas a Corde impulso, quam vis est, qua venæ resistunt ei, quem ex arteriis hauriunt; cum arteriæ robustioribus tunicis, & pluribus carnis circularibus fibris instructæ sint, quandoquidem venæ & laxiores tunicas, & vix ulla obtinuerunt carneas fibras. Placido idcirco motu donatæ sunt venæ, semper uniformi, & vermiculari simili, arteriæ vero violenta distractæ dilatatione in validam restituuntur contractionem; unde est, ut arteriæ magna etiam vi a graviore sanguinis sarcina sese liberare nitantur, qua onerari venas oportet. Et jam patet, resistentiæ a Corde superandas non adeo facile augeri posse, quemadmodum quæ ab arteriis vincendæ; quin has semper illas esse antecessuras.

Ut autem constet, quot, & quam gravia mala ex dictis emergere queant, supponamus oportet, sanguinem in venis ea quantitate congestum esse, quæ summa sit, quæ ab ipsis contineri potest, salva dictarum resistantiarum æqualitate. Jam vero cum venæ multo distractibiliores sint, quam arteriæ, si sanguinis quantitas præterea augeatur, in venis eisdem colligetur, collectaque majore quantitate, quam in summa, sed naturali distractione contineri potest, opus est, pondus venosi sanguinis majus evadere, quam prompte ab arteriis ultro pelli possit. Hinc vel arteriæ integram adhuc suæ constrictionis vim poterunt exercere, vel non; si vim suæ contractionis integram ser-

vaverint, opus est, sanguinem nimium factum contra venas præter modum urgere, unde hæ nimie cedent distractioni, quamobrem disjici poterunt, id quod accidet aut ubi ad aliquas cavitates liber aditus patet, aut ad exteriora effluxus; & en præsto sunt sanguineus vomitus, sputum sanguinis, hæmorrhagiæ quæcunque, quarum nonnullæ salutares esse possunt, quæ scilicet e naribus, ex hæmorrhoidibus, ex utero, & ex aliis, si quæ sunt, similibus partibus, cum naturæ regimine profiliunt. Verum aliæ in cæcas aliquas cavitates aperiri possunt, & en mors præ foribus est. Si vero referatis oculis suis hient venæ ubi cæci carniū meandri, aut viscerum meatus sunt, erysipelata, phlegmones, & quæcunque inflammationes, indeque vomicæ, abscessus, atque id census alia subsequuntur, quæ plus, aut minus afferent periculi, juxta diversam naturam, & præstantiam partium, seu viscerum in quibus contingent. Quod si venæ præternaturalem quidem patiantur distensionem, disruptioni tamen resistent, nihilominus gravia oboriri mala necesse est. Nam præter venarum incurabiles, & tandem lethales varices, sanguis ad Cordis dextrum thalamum tanta copia affluere potest, ut obruatur, & suo motu languescat, ni forte etiam deficiat; aut in auriculam Cordis dexteram tantam inducere amplificationem potest, ut sanguinis perpetuus, & necessarius ad Cor affluxus aut insigniter languescat, aut interceptur, unde syncopes, lipothymia, & mors ipsa subitanea. Ponamus jam nunc arterias in sua restrictiva vi debiles factas, & in eam distractionem a nimio sanguine deductas esse, ut non amplius ad consuetam mensuram valeant stringi; tunc progressivus sanguinis per arterias motus tardior celebratur, quo retardato, segniss fit etiam agitativus, lentus idcirco evadit sanguis, ex hoc lentore spiritus, alii-

que humores, qui a sanguine penu ad animales secretiones habendas abscedere deberent, cum crassamento devincti manent, unde apoplexiæ, vocis interceptio, membrorum paralyfes, ventriculi imbecillitas, tardæ coctiones omnes emergunt. Quid quod & pulmo nimio sanguine gravatur? & enorthopnæa, asthma, spirandi difficultates cujuscunque generis. Præterea arteriarum tunica robore infracta, & nimia distractione distentæ in aneurysmata amplificantur; sanguis lento nimium progrediens motu in polypos concrefcit; denique tot, & talia inde imminent mala, ut immensus fere labor evaderet, & horrendum nimis esset, si omnia recenserent vellent, & in gravissimo suo aspectu sub oculos ponant.

ADNOTATIO IV.

Summo consilio Hippocrates, postquam periculum pronuntiavit athletici habitus, in summo bonitatis, & in ejus extremi consistentia existentis, ejusdemque periculi infallibilem adduxit causam, de remedio immediate verba facit, subjungendo *His de causis bonum habitum statim solvere expedir, ut corpus rursus nutrirri incipiat*: quibus in verbis nonnulla sunt animadvertenda, omnem diligentiam nostram exposcentia.

Inquit igitur cou Senex, athleticum habitum solvendum esse; at quomodo, non docet. Verum si attendatur, bonum habitum præferre necessario bonitatem humorum, qui ad summam plenitudinem in Athleticis pervenerint, liquet, nonnisi evacuatione tolli eandem posse. Quoniam vero tribus modis evacuationes institui possunt, scilicet per pharmaca purgationem celebrando; per inediam subtrahendo id, quod plenitudinem ad morbosum statum perducere posset, & permittendo, ut sine nova alimentorum

exhibitione per evacuationes, quæ ex Naturæ instituto in dies sunt, opè excretionum omnium e corpore abscedat quidquid plenitudinem faciebat; & per phlebotomiam, aliave præsidia chirurgica, puta frictions, scarificationes per cucurbitulas, vel cum, vel sine incisione, applicationem hirudinum, vesicatoriorum appositionem, inunctionem cauteriorum, idque census, si quæ sunt, alia; præstat idcirco inquirere, quoniam ex indicatis præsiidiis ad humorum nulla qualitate peccantium plenitudinem auferendam convenienter; & ut decet, evacuationem instituire expediat.

Ut autem pensum hoc, qua fas est, doctrinæ perspicuitate, & ordine absolvamus, operæ pretium est animadvertere, non solum in re, & essentia remedia proportionem habere cum morbo debere, cui semper, ut diximus, opponi debent, sed præterea in qualitate, qua morbo eidem modo adversari exposcunt, modo cum eodem concordare. Primum quoties remediis alterantibus utendum est, calida frigidis, incrassantia tenuibus, volatilia fixis &c. applicando. At de evacuationibus loquendo, remediorum proportio in qualitate convenire debet cum morbo ipso, & quod exuberat evacuandum, sicque bile exuberante bilis educatur, sero naturalem quantitatem excedente serum eliminatur, & sic de singulis. Quamobrem in nostro casu, cum non peculiaris humor, sed tota massa sanguinea nimia quantitate peccet nullo in qualitate vitio infecta, sanguis ipse erit evacuandus. Hanc autem fuisse Hippocrati intentionem, & sententiam, liquet ex finali ratione, quam ad assertum suum confirmandum addit iis verbis = *ut corpus rursus nutrirri incipiat*. Neque enim corpus posset rursus nutrirri incipere, idest novum congerere sanguinem, & quidem laudabilem, per quem ad novam plenitudinem tenderet, nisi cau-

ſæ naturales omnes concurrentes ad bonas quæſcunque functiones eliciendas, & coctiones perficiendas, integræ conſervarentur, & nulla alia plethorici habitus ſolutio per inſtitutam evacuationem contigiſſet, quam quæ præcife ſanguinis abundantiam valuit auferre. Id ipſum manifeſtum fiet etiam ex iis, quæ inferius ſubjungit in Aphoriſmo Hippocrates, ut ſuo loco videbimus.

Porro conſtat, purgationem nullo modo facere ad hippocraticum intentum, neque ulla ratione divini Senis ſententiæ reſpondere poſſe, immo nec indigentia, cum purgationes peculiare e corpore humores eliminant, non totam ſanguinis corporaturam, qua in re quod temperatum eſt in temperatum evaderet; quidpiam enim educeretur, quod ad integram naturam, & bonam ſanguineæ maſſæ craſim conſtituendam neceſſarium eſt. Idcirco Hippocrates ſeſtione ſecunda Aphoriſmo trigefimo ſeptimo ſcriptum reliquit, eos, *qui ſalubritatem corporis habent, per medicamenta evacuatōs cito exſolvi*. Quod de purgatione propria, & ſtriſta ſignificatione ſumpta dixi, ideſt de catharſi, id ipſum dictum volo de qualibet alia impropria purgatione, hoc eſt de qualibet peculiari evacuatione per diaphoreſim, per diureſim &c., per quas peculiare ſerum e corpore eliminatur.

Excluſa itaque quæcunque purgatione generice ſumpta, oculos ad inediam convertamus. Hæc proſecto, licet non per ſe, per accidens tamen, & consecutive evacuat: cum enim ideo alatur, ut novum ſanguinem lucrificamus, ex quo depromi queat quidquid neceſſarium eſt ad corporis nutritionem, & actuationem, non generalem ſolum, ſed etiam peculiarem quarumcunque partium; unde functiones omnes, omnes item coctiones integræ ſerventur, abſcedentibus e corpore multis per urinas, per inferiora, per ſa-

livationem, perque alias quæſcunque excretiones, potiſſimum vero per diaphoreſim, cujuſ quanta viſ fit in ſingulos dies, non eſt qui ex Sanctorii Statica plane non noverit; liquet, ſi ſubtrahamus homini alimentum, neceſſario conſecuturam eſſe vaſorum inanitionem; ac per conſequens, ſi corpus plethoricum fuerit, per inſtitutam inediam plenitudinem tandem eſſe auferendam. Et quamvis perpetua, conſtantique experientia conſtet, e corpore non ablegari per conſuetas excretiones formalem, ut inquit, ſanguinem, tamen, dummodo modus in alimentorum ſumptione ſervetur, tum quo ad quantitatem, tum quo ad qualitates, & quæcunque alia in re hac requiruntur, fanitas, & quidem laudabilis, nulliſque obnoxia infortuniis inconcuſſa manet. Quamobrem fateri opus eſt, quidquid ex alimentis in ſanguinem deducitur, quin immo convertitur, in ea tandem ſolvi, quæ ad corpus nutriendum, actuandum, & ad omnes excretiones habendas ſunt opportuna; & conſequenter quidquid e ſanguine per ſingula excretoria proſilit, & e corpore exturbatur, nihil aliud tandem eſſe, quam id ipſum, quod aut ex nutritione reſſum eſt, tanquam excrementitium, aut ſi in corpore retineretur poſtquam munera ſua obiit, quibus a natura deſtinatum eſt, ſuperfluum non modo eſſet, ſed præterea nocuum evaderet: quod idem ſere eſt, ac dicere, per quæſcunque naturales excretiones, quanquam ſingulæ peculiaria e ſanguine eliciunt, ſi collective ſumantur, ſanguinem totum quo ad omnes ſui partes in ea, quæ eliminantur, extenuatum evacuari. Quamobrem liquet, inediam, ſi diutius protrahatur, conſequi non modo evacuationem, ſed ejus, quod evacuare oportet; ac propterea plenitudinem abſque ulla humorum a recta qualitate aberratione de medio tolli. Verum non ſufficit, remedia morbis propor-

tionata esse oppositione in re, & essentia, itemque convenientia in qualitate, quando evacuantia sunt, sed proportionem servare debent item in modo, & quidem coherentia, minime vero oppositione; quo pacto enim factus est modus, eodem est removendus: Unde Artis noster Magister secunda Aphorismorum, septimo docet, *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lente rescicere oportere; quæ vero brevi, celeriter*. Modus autem respicit vires, temperamenta, anni tempus, particulares annorum constitutiones, consuetudinem, & plura alia, quæ omnia peculiarem sibi adsciscunt considerationem, non modo relate ad electionem remediorum, sed etiam ad rectum, & opportunum eorum usum. Jam vero videndum est, num in modo proportionatum remedium sit inedia ad summe bonum habitum solvendum. Ex dictis superius adnotatione tertia perspicuum est, quot, & quam gravia mala immineant iis, qui ad summum bonitatis perducti sunt, & in ejus extremo consistunt; quæ autem mala imminet, nullam enimvero procrastinationem admittunt; quamobrem statim remedium exposcunt, quo præcaveantur. Nec sine prudentissima ratione, & consummatissima experientia Hippocrates dixit, *His de causis bonum habitum statim solvere expedit*. Inquit *statim*, idest incunctanter, & nulla interposita mora; proclive enim nimis est, ut quæ distensio in vasis habetur summa, licet non excedens ultimos bonitatis fines, si diu perduret, morbosa evadat. Notum enim est, arcum, si in diutina violenta contractione detineatur, vel frangi, vel saltem in sua restitutiva vi non modice infringi. Idem profecto tunicis vasorum diu distentis eveniet, quæ vel vi sanguinis magno impetu in eas irruentis cedent, & deficientur, vel saltem de elastica sua virtute adeo amittent, ut restitui, quo robore opus est, non

amplius valeant, unde præsto statim sunt superius enuntiata infortunia. Evidens autem est, per inedia evacuari corpus, ut diximus, consecutive, & per accidens, immo longo tantum tempore, præsertim si juxta tutissimas regulas paulatim diæta in usum vocetur. Quocirca satis constare mihi videtur, inedia inopportunum modum esse, quo bonus, & plethoricus solvatur habitus; id quod multo etiam manifestius fiet ex iis, quæ ad subsequenter quartum Aphorismum adnotabimus, ubi ejusdem nec pauca, nec leviter adducemus incommoda.

Transferamus nos igitur ad præfidia chirurgica, & in indicatis propiciamus, num omnia, aut aliqua tantum, ad casum nostrum faciant; & si quidem non omnia, num ea, quæ ex usu esse possunt ad athleticum solvendum habitum æqua promptitudine polleant, & æque tuta existant. Prodeant primum in scenam frictions. Harum duo sunt præcipui effectus, alter ut sanguis in extremis vasorum cutis finibus exagitetur, unde incalescit, ac attenuatur, alter vero ut pori cutis referentur. Verum cum per transpiratum nonnisi materia sudoris attenuata eliminetur, constat, si frictions nullam aliam promoveant excretionem, neque posse proportionatas reddi in qualitate ei, quod educendum est in plenitudine humorum bona crasi pollentium, cum hi totum sanguinem constituent, materiam vero perspirationis serum faciat tantummodo peculiare, & tenuissimum. Eadem ratio est de scarificationibus per cucurbitulas sine incisione; eisdem namque numero effectus producunt, ac frictions, hoc uno discrimine, quod scarificationes fortiores sint, & dolorificæ, frictions vero leviores, nullumque pariant dolorem; quocirca major per illas, quam per has transpiratus promovetur. At vero si cum scarificationibus incisio conjungatur, profecto educitur sanguis, ac

propterea quod convenit; præterea educitur statim, quare quomodo decet. Sed quoniam neque sat est ut remedia morbo proportionem respondeant in re, seu essentia, in qualitate, & in modo, rationibus jam expositis, verum insuper oportet, ut proportionata sint etiam in quantitate, quæ intelligi debet tum extensa, tum intensa; extensa in evacuationibus, ut quantum exuberat humor educendus, tantum evacuetur; intensa vero in reliquis, ut tantum v. g. refrigeretur, quantum calor intensioe sua excedit, aut tantus concilietur motus, quanta ejusdem remissio, & segnitias habetur; cum persæpe fieri possit, ut per incisionem scarificationi per cucurbitulas additam non tantus sanguis mitti possit, quantum ad athleticum habitum solvendum requiritur; neque enim in Chirurgi libertate est, eam præsidio hoc detrhere sanguinis quantitatem, quam intendit; idcirco est, ut non cessent quidem remedium esse scarificationes cum incisione, at persæpe non sint adæquatum. Idem omnino evenire potest in hirudinum applicatione ad quaslibet partes, in quibus oppositum quoque incurrere possumus, ut scilicet aliquando tantus effluat sanguis, ut extremam inducat inanitionem, quæ opponitur quidem extremæ plenitudini, sed oppositum inducendo morbum, non remedium afferendo; non raro enim fit, ut applicatis hirudinibus sanguis tanta copia, & tali impetu fluat, ut nonnisi summa difficultate, & post ingentem excretionem fisci queat. Quamobrem remedia dicta aut inadæquata manent, aut non tuta evadunt, quod utrumque fugiendum, ubi gravissimorum malorum instat periculum. Veniamus ad vescicatoria. Hæc procul dubio sanguinem in pus conversum evacuant, sed non eo, quo decet, modo; neque enim confestim, sed paulatim pensum suum faciunt; præterquamquod nec certi sumus,

tandiu posse vescicatoria aperta detineri, ut quæ tota expostulatur sanguinis quantitas, sub puris forma educatur. Mitto alia gravissima incommoda, quæ a vescicatoriis oboriri possunt, cum meum sit nunc tantummodo ea considerare prout evacuantia medicamenta sunt, non relate ad alia, quæ præstant. Foniculi utique possunt eo usque aperti conservari, quousque totum sanguinem in plenitudine exuberantem detrahant sub eadem puris forma, sed multo etiam diuturnius in agendo tempus exposcunt, quam ipsa vescicatoria; unde foniculi multo minus in modo proportionati existunt ad plethorici habitus solutionem faciendam. Restat igitur sola phlebotomia, qua & evacuatio fit, & ejus quod exuberat, videlicet sanguinis, & quo decet modo, idest confestim, & juxta indigentiam; cum ex arbitrio Chirurgi sit, sinere fluentem sanguinem quosque opus est, neque ultra, quem item pro arbitrio potest cohibere, & sistere. Cum igitur sola phlebotomia illud remedium sit, quod undequaque accommodatum se prodit ad tollendam summam plenitudinem, quam dicit Hippocrates statim esse solvendam, etsi præsidium nominatim non indicat, credendum tamen est hoc, & non aliud in animo habuisse; præsertim vero cum fieri non possit, quin experientissimo Viro ex ipsa experientia compertum esset, contingentibus in Athleticis hæmorrhagiis narium, hæmorrhoidum, aliorumque consimilium locorum, intra tamen requisitam mediocritatem, non modo nullum morbum obortum fuisse, verum secutam illam habitus plethorici solutionem, quam tantopere inculcat. Accedit per venæ sectionem auferri omnem imminentis periculi occasionem, nullam vero poni ad alios morbos, modo debita quantitate sanguis mittatur: quin immo ansam præberi ad novum sanguinis cumulum faciendum, tendentem ad

novam laudabilem plenitudinem; quod illud est, quod sibi vult Hippocrates iis verbis *ut corpus rursus nutrirri incipiat*, quæ in dicti sui confirmationem adjungit. Sed rem eandem comprobare etiam possunt verba Aphorismi quæ sequuntur, ut statim apparebit.

ADNOTATIO V.

PER compressiones intelligi debet vasorum concidentia, quæ effectus est summæ inanitionis; cum enim exinaniantur vasa, oportet eorum tunicas ita coarctari, ut pene concidant, qui idem fere effectus est, ac si extrinsecus ab aliquo agente comprimerentur. Jam vero compressiones hæc ait Hippocrates ad extremum ducendas non esse. Si igitur ad extremum ducendæ non sunt, infallibile signum est, velle talem habitum athletici solutionem, quæ inanitionem fecuturam in vasis extremam non ponat; hujusmodi autem velle non potuisset inanitionem divinus Senex, nisi eo prædico faciendam esse intenderet, quod tum in suis conditionibus omnibus aptum sit sanguinem immnuere, statim, & in necessaria quantitate, tum ex Operatoris arbitrio posset regi. Cum autem in superiore adnotatione ex omnibus, quæ ad lancem expendimus, hujusmodi solam sanguinis missionem invenerimus, consequens est, sola sanguinis missione plethoram solvendam esse, quæ tamen non eo perducenda est; ut vasa concidant; quod æque periculum inferre ex Hippocrate deducimus, cum hic extremas compressiones periculosas pronuntiet.

Verum quodnam periculum hoc sit, ex eodem Artis Magistro non constat. Licet ne nobis in idem inquirere? Indicabimus tantum binos ex præcipuis effectibus summæ vasorum depressionis, quibus revelatis, proclive erit unicuique arguere, quænam, cujusque in-

dolis mala inde possint derivari. Certum est, quando sanguis detrahitur, ipsius portionem, quo ad omnes & singulas sui partes, deperdi, atque idcirco crassamenti jacturam fieri effluenti sanguini proportionalem. Quo igitur major sanguinis quantitas mittetur, eo etiam plus crassamenti deperdetur; cum autem sanguineum crassamentum promptuarium illud sit, ex quo depromuntur quæcunque necessaria sunt pro qualibet functione, & animali, & vitali, & naturali, quoties crassamentum in minima quantitate fuerit, langueant omnes secreciones necesse est, & plurimum minuantur; quamobrem spiritus animales quoque in exigua profus quantitate eliciuntur, & succus partium nutritius modicus erit; hinc duplici de causa partes omnes in summum languorem deducuntur, hinc motus omnes, cum animales, tum vitales, exiles evadent, hinc sensus omnes hebetes, hinc omnes costiones debiles, denique omnia infirma.

Alter phlebotomiæ effectus, quem adnotamus, est acceleratio motus sanguinis per propria vasa, ex qua consequitur liberior motus intestinus, sive agitativus, unde fit ut sanguis ad majorem sui tendat exsolutionem. Quæ omnia si intra exactos medicocritatis limites exercentur, tam longe abest ut ullum morbum causare queant, quin potius perfectam sanitatem, & ab omni periculo immunem parient. At si ob nimiam sanguinis educationem modum excedant, exsoluto nimium sanguineo crassamento, eveniet ut spirituosæ partes, quæ potissimum sulphurææ sunt, nec non salinæ, ad certam volatilitatem ductæ, in auras abeant, manentibus salinis crassioribus, & fixis, quæ in sero sanguinis dissolutæ, & ad agendum pronæ, tum quod residuum crassamenti habetur tenuissime scindent, tum vasorum tunicas, intimamque cordis superficiem ir-

ritabunt. Quin immo cum humores omnes, qui e sanguine fecernuntur, de eadem salina constitutione participare oporteat, stimulus idem nervis, musculis, & quibuscunque partibus, sive internis, sive externis, communicabitur. Facta igitur universali colluvie serosa, & acri, mirum quantum partes omnes, & viscera cuncta tono suo infringantur, quamque parce, & prava ratione nutriantur. Ex quibus omnibus plurima, & gravissima mala produci oportet. Periculosum itaque, & quidem maxime periculosum est, compressiones ad extremum deducere.

At inquiet aliquis: Ne compressiones ad extremum ducantur, sintque ideo periculosæ, ad quamnam mensuram erunt faciendæ? Neque hoc statuit Hippocrates; immo nec statuere poterat. Genericam idcirco tantum regulam tradit iis verbis, *sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit*. Profecto cum hominum fanitas non exiguam admittat finium latitudinem, adeoque non exigua differentia esse possit inter sanguinis quantitatem, qua integra fanitate frui potest unus homo, ab illa, qua potest constare alius homo, integra item fanitate manente, ita ut quæ quantitas in uno homine mediocritatem facit, in alio plenitudinem ponat, & in alio forte etiam parvitatem; impossibile est regulam constitutere generalem, determinantem præcisam quantitatem sanguinis educendi pro plethorici habitus solutione; præsertim cum probabile sit, Athletas eam sanguinis abundantiam habuisse, quæ omnium captum superaret, & inter eos ipsos majus discrimen fuisse, quam inter cæteros homines. Oportuit itaque divinum Senem criterium aliquod proposuisse, cujus ope cognitio emergeret quantitatis mittendi sanguinis: est autem natura ejus, qui debet perferre; idest peculiaris ejusdem constitutio, quæ in

uno etiam, eodemque homine diversis temporibus non infrequenter est diversa, pro varia ætate, anni tempestate, victus rationis consuetudine, aliisque idiosyncrasis, seu individualibus conditionibus; ob quas fieri potest, ut in certis circumstantiis liberaliorem ferre possit sanguinis jacturam, nonnisi parciorem in aliis. Quanquam vero ad ejus, qui perferre debet, naturam attingendam, plura, ut ex dictis patet, conducant, quæ novisse oportet, faciliorem tamen; & proclivior a posteriori patet via, consideratio videlicet virium, quas respexit Hippocrates. Nam eisdem in certa quadam virtutis energia permanentibus, operationes omnes animales sat recte perficiuntur, perfectumque fit, compressiones deductas non esse ultra expositam mensuram, & facile perferri, ut Hippocratis utar vocabulo.

ADNOTATIO VI.

Diximus in expositione ultimæ particulæ Aphorismi, Hippocratem duo veluti corollaria deducere ex duabus superioribus partibus; nempe & evacuationes ad extremum deductas, & resectiones extremas esse periculosas; id quod ita dixisse nos intelligi volumus, ut non consequentiæ sint præcisæ fluentes ex primis duabus Aphorismi partibus, tanquam ex suis legitimis antecedentibus, sed potius extensiones regulæ datæ ab Hippocrate pro solutione plenitudinis humorum nulla prava qualitate peccantium, ad eas quoque plenitudines, quæ cum humorum cacochymia conjunctæ sunt, quæque plethoræ cacochymicæ appellantur. Hæ enim vero & ipsæ exposcunt evacuationem ejus, quod exuberat, & in qua quantitate quod exuberat, & ita quidem, ut si minus evacuetur, quam oportet, evacuatio remedium maneat incompletum, si vero plus, quam decet, educatur, novi emergant morbi, plerumque

que contrarii illis, qui ante evacuationem habebantur. Et in hoc posita est ratio periculi ab Hippocrate pronuntiati.

Idem propemodum dicendum venit de refectionibus quibuslibet post aliquas evacuationes institutis; eæ namque præterquamquod, si immodicæ fuerint, summam restituent plenitudinem, cum a chylicis causis magna ingurgitati cibi portio in bonum subigi chylum nequeat, nec hujusmodi chylus a sanguificantibus in bonum converti sanguinem, necesse præterea est ut nova inducatur plethora, quæ cacochyma erit, & per consequens plena periculi.

COROLLARIUM.

EX dictis adnotationibus ad tertium hunc Aphorismum liquet, miro profus doctrinæ ordine se gessisse di-

vinum Senem in eodem concinnando. Postquam enim in secundo signa dedit ad dignoscendas purgationes sponte Naturæ factas, ut bonæ a malis distinguantur, in ordine & ad qualitatem, & ad quantitatem humoris excreti, utrumque autem relate ad præcipuas circumstantias regionis, temporis, ætatis, & morbi; in tertio Aphorismo signum, quo plenitudo vasorum dignoscatur, docet, ejus solutionem, & quidem incunctantem præcipit, ejusdem mensuram indicat, eandemque tandem extendit ad quascunque evacuationes faciendas, sive ope phlebotomiæ, sive alius præsidii chirurgici, sive pharmacis aut purgantibus, aut alio modo evacuantibus, idest vel diureticis, vel diaphoreticis, vel salivatoriis &c.; qua in re non amplius observatio, sed opus ipsum medicum, ad normam tamen eorum quæ critice a Natura fiunt, expostulatur.

APHORISMUS IV.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non convenit, periculosus; & rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est, nam & repletiones, quæ ad extremum deveniunt, periculosa.

EXPOSITIO.

CUM in præcedente Aphorismo docuerit Hippocrates, humorum plenitudinem solvendam esse, & quidem in ratione eorum exuberantiæ; extremas item vasorum compressiones, tumque etiam evacuationes omnes ad extremum perductas periculosas pronuntiaverit: suspiciendo doctrinæ ordine transit nunc ad regulas quasdam tradendas de recta dietandi ratione, ducto motivo a periculo victus tenuis, & exquisiti in morbis omnibus chronicis, & in acutis illis, in quibus

bus non convenit; prætereaque a gravitate tenuissimi victus in quibuslibet morbis generatim. Patet hinc quænam sit hujus Aphorismi cum tertio connexio, quænam divini Senis intentio, & quænam causa intentionis. Patet etiam in duas dividi partes Aphorismum hunc, ad cujus utriusque explicationem syllogistica forma proferendam cum una, eademque generica propositione mihi utendum sit, quæ scilicet est *Ille victus periculosus est, qui extremam inducit inanitionem*, hanc idcirco ante omnia probō.

Æqualis recessus a mediocritate, in qua sanitas est, æquale habet periculum. Sed extrema inanitio, & extrema repletio æqualiter a mediocritate recedunt. Ergo in extrema inanitione, & in extrema repletione æquale periculum adest. Subsumo. Sed extrema repletio per Aphorismum antecedentem periculosa est. Ergo extrema inanitio periculosa erit. Iterum subsumo. Sed quod periculum est in effectu, idem etiam est in usu causæ eum producentis effectum. Ergo ille victus periculosus est, qui extremam inducit inanitionem. Quod probandum sumpsit.

Venio nunc ad primam Aphorismi partem, quam sic probō. Ille victus periculosus est, qui inducit extremam inanitionem. Sed victus extreme tenuis in morbis chronicis inducit semper extremam inanitionem, propter eorundem morborum diutinam durationem. Ergo victus extreme tenuis semper in morbis chronicis est periculosus.

Rem hanc extendo ad reliqua hujus partis verba. Sed etiam in morbis acutis, in quibus non convenit, potest victus exquisite tenuis summam inducere inanitionem, si nempe accedat symptomatum violentia, & evacuationum multitudo. Ergo etiam in morbis acutis nonnullis victus exquisite tenuis potest esse periculosus. In quibus autem periculosus est, in iis dicitur non convenire; qui quamvis regulariter sint acuti non exacte, seu ex decidentia, possunt tamen esse acuti etiam exacte; idcirco est, ut generalibus terminis usus sit Hippocrates, non vero particularibus.

Transco ad secundam Aphorismi partem sic brevi probandam. Ille victus periculosus est, qui inducit extremam inanitionem. Sed victus extreme tenuissimus, utpote absoluta inedia constans, si diutius protrahatur, extremam vasorum inducit inanitionem. Ergo victus extreme tenuissimus periculosus erit, si diutius protrahatur. At vero nisi etiam tantum protrahatur, ut inducat extremam inanitionem, non cessat tamen esse gravis.

Et hic mihi videtur legitimus hujus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Morborum differentia constituitur vel a duratione, vel ab exitu. A duratione alii dicuntur breves, seu celeres, quia brevi, celeriterque tempora sua percurrunt, & ad statum perveniunt; alii longi nuncupantur, seu tardi, seu chronici; diu enim, & tarde sua conficiunt tempora, & ad statum suum perducuntur. Ab exitu vero, vel in certam salutem, & salutare, vel in certam mortem desinunt, & exitiales, seu lethales appellantur, vel tandem in ambiguo relinquunt, num in salutem, aut in mortem sint desituri, & hi periculosi vocantur.

Quoniam vero omnes, & singuli morbi & suam durationem, & suum exitum habent, hinc est, ut pro diversa conjunctione durationis cum exitu varias alias differentias sortiantur, & denominationes. Siquidem diurni vel salutares sunt, & chronici simpliciter vocantur, vel sunt exitiales, & incurabiles, vel periculosi sunt, & chronici cum periculo dicuntur. Similiter celeres aut salutares esse possunt, & benigni, aut exitiales, & violenti, aut periculosi, & acuti appellantur.

Porro acutorum morborum diversus est durationis terminus; sunt enim

qui ad decimam quartam, sunt qui ad vigesimam primam, demum qui ad quadragesimam extenduntur. In his primi acuti exacte, altero loco positi acuti simpliciter, seu non exacte, postremi acuti ex decidentia, seu ex permutatione cognominantur. Et tale quidem ultimi sortiti sunt nomen, quoniam post vigesimam primam in alium veluti morbum degenerare videntur, fere ac si acutorum verorum ultimus terminus esset vigesima prima dies, ultima nempe tertia hebdomada. Quanquam per se fit, ut acuti morbi observentur, qui vigesimam primam diem prætergrediuntur sine ulla morbi in morbum mutatione, producuntque alii ad vigesimam septimam, alii ad trigesimam, & alii non solum ad quadragesimam, sed etiam quandoque nonnihil ultra extenduntur. Id autem vel ex materia morbifica summa tenacitate provenit, & cruditate, vel ex virium concoctricium languore, vel ex alia consimili causa. Quicumque tamen quadragesimam diem excedunt, quæcunque tandem futura sit eorum duratio, in longorum, diuturnorum, tardorum, seu chronicorum numero recensentur. At qui morbi celeres violentorum nomen adepti sunt, peracuti cognominantur, in quibus qui ad quar-

quartam tantum perveniunt, & regulariter semper in mortem finiunt, peracuti exacte vocantur, sive acutissimi; peracuti vero non exacte dicuntur, qui, cum ni semper, sæpe tamen mortem inferant, ad septimam usque sese extendunt. Jam nunc animadvertere opus est, quascunque denominationes peracutorum, & acutorum, quæ, ut ex dictis patet, non a priori, & ab intrinseca eorundem natura, sed a posteriori, & ab ipsorum vario durationis termino desumptæ sunt, non ita stricte tenendas esse, ut parvam aliquam alterationem nequeant admittere. Satis enim est in medicis rebus ad salvandam universalitatem pluralitas casuum; quod dictum volo etiam in ordine ad exitum eorundem (sicuti & de quibuscunque regulis medicis &c.); fieri namque potest, ut ex accidenti qui morbi benigni esse solent, periculosi evadant, & qui exitiales esse consueverunt, ad salutem aliquando perducantur.

Ex dictis jam patet, quid longorum morborum nomine intelligat Hippocrates. Non item vero plane assequi datum est, quid sibi velit in hoc Aphorismo, dum ait = *Et in acutis, in quibus non convenit* =. Cum enim acutorum morborum ex diversa eorundem duratione plures, ut diximus, emergant differentiæ; perspicuum est, citatis verbis indicare velle, non in omnibus acutis morbis periculosum esse tenuem, & exquisitum victum, non tamen declarat, quinam sint ii acuti morbi, in quibus præfatus victus periculosus est. Id igitur nobis erit perquirendum. Sed quoniam id ipsum attingi minime potest, nisi prius reveletur quid nomine tenuis, & exquisiti victus intelligendum sit; nonnulla prius de variis victus gradibus verba faciemus.

ADNOTATIO II.

Victus ergo tres sunt præcipuæ differentiæ; scilicet plenus, mediocris, & tenuis. Plenus victus vires conservat, & auget, mediocris conservat quidem, sed non auget, tenuis tandem nec auget, nec conservat, sed minuit. Porro victus tenuis tres item sunt gradus, victus simpliciter, tenuior, tenuissimus. Tenuissimus, sive exquisite tenuis, per absolutam inediam; tenuior, sive tenuis non exquisite, per melicratum, seu mixturam ex aqua, & melle; tenuis demum simpliciter, per ptisanam hordeaceam, juxta Hippocratem, cæterosque, procedebat. Victus tenuis differentia aliæ a Galeno, cæterisque post hunc proponuntur, & aliter quoque ab aliis; quin nostris temporibus diætandi ægros ratio plurimum ab Antiquorum præscriptione discedit. Hoc loco nos quas adduximus victus differentias, tenuisque ipsius gradus, utpote hippocraticæ doctrinæ cohærentes, amplectimur.

Interim animadvertere opus est, animalibus alimentum necessarium esse ad vires obtinendas, conservandas, si que opus sit, etiam augendas, quæcum a spirituum animalium affluxu ad universas corporis partes deriventur; spiritus autem a sanguine eliciantur, cujus materies a chylo venas ingresso, inque sanguinem converso, suppeditatur; hinc est, ut cibi in chylum faciescentes ad sanguinæ massæ reparationem ab animali sint sumendi. Hæc autem ciborum assumptio illa est, quæ victus nomine ab universis Medicis, neothericis æque, ac præcis appellatur; quæ si tanta sit, ut sanguinis quantitati augendæ par sit, plenum victum; si tantummodo conservandæ, victum mediocrem; si vero parca adeo, ut sufficiens non sit antecedenter existenti sanguinis quantitati conservandæ, unde ex consequenti ejus-

ejusdem imminutio exoriatur, tenuem victum constituit. Constat autem, postremam hanc, plus minus, sanguineam massam minuere, prout tenuis simpliciter fuerit victus, aut tenuior, siue tenuis non exquisita, aut tenuissimus, siue exquisite tenuis. Id quomodo ex tribus dictis victus tenuis differentiis contingat, onus nostrum est inquirere, simulque effectus, præcipuos saltem, singulorum horum graduum revelare; quandoquidem de pleno, & mediocri victu, non est cur hic sermone instituiamus.

Jam vero animalium sanguis caufis non caret ad ejus destructionem indefinenter agentibus; quamobrem nisi oppositis reparatur, minui eum oportet. Primæ sunt secretiones omnes, imprimis vero excrementitiæ. Secundæ sunt causæ omnes novam sanguinis coadunationem facientes. In his materialis annumeratur, nempe cibus quilibet, & potus, magis, minusve sanguinem reparans, pro varia quantitate, atque etiam qualitate; sunt namque cibi, qui plurimum in excrementitiâ, & facalem massam faciunt; & vix quicquam sanguini tribuunt; contra sunt alii, qui paucas faces relinquentes multum chylum ad sanguinea vasa amandant. Inter postremos vero hos alii materiam sanguini suppeditant facile, & cito, alii non nisi ægre, & sero in ipsum sanguinem convertibilem.

Hoc prænotato; inquiremus jam nunc, quomodo triplex memoratus victus tenuis sanguinis faciat imminutionem, singulorum ejusdem graduum effectus perquirendo.

Porro tenuissimus victus, siue exacte tenuis, qui inedia, seu integra esulentorum, & poculentorum abstinentia absoluebatur, cum omnem novæ sanguinis reparationi materiam subducatur, vigentibus cunctis sanguinem destruentibus causis, profecto ejusdem imminutionem pariat ex conse-

quenti oportet; quæ tanta in singulos dies esse debet, quantum ab iis, præsertim vero ab excrementitiis secretionibus, sanguis idem mulsetur; et si hæ vigentes semper, integræ, ejusdemque rationis manerent; brevi universus sanguis periret, & e vivis decedens animal, exangue fere evaderet. Verum non ita rem peragi observatio ostendit; fame enim, absolutaque inedia interfecta animalia, licet minore quantitate sanguinis prædita reperta sint, quam factum fuisset, si alia de causa, præ cæteris vero violenta, sed absque sanguinis effusione, e vita decedissent, tamen non modica sanguinis copia pollebant. Hujus rei causam perbellè aperiet inediæ effectuum consideratio. Et primum quidem animadvertere est, non æqualia in dies sanguinis decreta fieri in iis, qui inediam sustinent, sed in dies, semperque minora, prout ab inediæ initio fit recessus. Sicuti enim secretiones omnes, siue utiles, siue excrementitiæ, secernenda a sanguine mutantur, ita majorem quantitatem secernendæ materiæ a copiosiore sanguine recte constituto, cæterisque consentientibus, haurient, quam a minore; quoniam vero inediam sustinentes sanguinis reparatione orbantur, propterea detracta v.g. prima die a sanguine libra una humorum per excrementitiâs secretiones, altera die ab reliquo sanguine non integra libra poterit secedere, sed aliquanto minus, sicque minuenter semper magis secretionès, brevique res eo deducetur, ut parcissimæ reddantur urinæ, perspiratio pene deficiat, venter siccissimus evadat, &c. Ita porro, & quæ utiles secretiones peraguntur in dies minuuntur, quarum potissima cum illa sit spirituum animadum, consequens idcirco est vires omnes non animales solum vocatas, sed præterea & naturales, & vitales profus infringi. His autem labefactatis, quoniam naturalium, & vitalium viscerum actio-

nes præter modum debilitari opus est, illud etiam necessario consequitur, eadem impares reddi ad residui in sanguineis vasis cruoris attenuationem, ex cuius dissolutione procedit quidquid ad vitam, quidquid ad sanitatem, quidquid ad ipsa etiam commoda conducit, quod sanguineo sero exceptum, cuilibet parti pro earundem indigentia suppeditatur. Quis autem non videt, rem eo brevi venturam esse, ut non tam sanguinis copia minuat, quam necessaria ejus dissolutio cesset? quæ cessante, cessat enim vero spirituum, quoque animalium secretio: non quia in sanguineo crassamento eorum materies desideretur, sed quia cæteris, & quidem præter naturam intentum crassioribus partibus, fibrillis potissimum sanguineis irretita manet, & veluti compedibus impedita.

Non minus perniciosos effectus procreat victus tenuis non exquisitus. Hic quoque sanguinis reparationi materiam demit, sed non ex integro; hinc secretiones omnes quæ utiles, quæ excrementitiæ plus sanguinis absorbent, quam a valde tenui, & parco cibo suppeditetur; & principio quidem eadem fere eveniunt, quæ in tenuissimo, sive exquisite tenui victu; sed quoniam ab hoc, scilicet ab inedia, omnis prorsus sanguineæ massæ reformatio prohibetur, in eo aliqua permittitur, sed non tanta, quæ sufficere possit. Et quanquam in illis, quibus victus tenuis non exquisite conceditur, non tanta fiat destructionis sanguineæ inæqualitas, quanta in inediis servantibus, tamen multa fit in illis quoque oportet. Verum id ipsam est, quod multo etiam perniciosiores effectus gignit; cum enim destruentes sanguinem causæ quidpiam inveniunt sanguini ipsi noviter adveniensi, e quo aliquid eliciant ad vires sibi aliquas conservandas, non tantas tamen, quantas ad rite agendum exposcunt, quin multo minores obtineant; hinc plusquam opus

est sanguinem atterunt, sed non ad eam redigunt solutionem, per quam activa, & spirituosæ, unde animales spiritus sui materiam mutantur, ab aliarum consortio, & vinculo valeant liberari. Crassiores propterea salinæ moleculæ sero sanguinis solutæ hoc acre reddunt, & stimulans, quamobrem in valentiores contractiones membrana, vasorumque tunica adactæ, serosiores partem per urinas, sudorem, intestinorum ipsorum glandulas, aliasque, quibus serosi humores fecernuntur, copiose e corpore expellunt; unde est, ut qui reliquus in vasis est sanguis, magis quidem, quam decet, attritus, sed minus fluxilis in visceribus sequeretur, & pariat inflammationes. Ab æriore sanguine quod nutritioni dicatum est nutriendo impar redigitur, & quod ipsum in partium nutritionem jam abiit ab eisdem abraditur, & tabes demum inducitur. Est autem hæc ratio, cur qui non absoluta inedia, sed fame interfecti fuerunt, exigua prorsus sanguinis quantitate præditi reperti sunt; summæ fluxilitatis in venis, sed in visceribus crassioris, viscidæque naturæ, atque in his aut inflammationes, aut obstructions peperit. Patet igitur non nisi ad breve tempus, & ad paucos dies tum in ediam, tum etiam tenuem non exquisite victum protrahi posse, ac propterea non in morbis chronicis tantum, sed præterea in pluribus acutis, & procul dubio in iis, in quibus non multa habetur acuties, nec brevis est duratio, esse periculosum.

De tenui simpliciter victu non hic sermonem facio, ab hoc enim nullo sequitur detrimentum, & si quod poneretur, facile esset reparabile; quin summa ex eo promanat utilitas in morborum curationibus, quod a Dominico Parente nostro in sua de diazandi ægros ratione ex Hippocrate diæxodica Tractatiuncula ostenditur.

ADNOTATIO III.

TEmpus nunc est, ut inquiramus, cur, loquendo de acutis morbis, Hippocrates indeterminatum reliquit, quinam illi acuti morbi sint, in quibus tenuis exquisitè victus est periculosus. Animadvertimus autem difficile ipsi prorsus, quin forte impossibile fuisse illud determinare; cum enim, ideo, ut ex supradictis patet, periculosus sit victus exquisitè tenuis, quia summam inducit inanitionem, quæ non potest non esse periculosa; hinc loquendo de acutis morbis, non modo propter eorum durationem, uti in simpliciter acutis, & magis in acutis ex decidentia, sed etiam alias ob causas, præsertim verò ob symptomatum vehementiam, & evacuationum multitudinem, citius ad dictam summam inanitionem potest deveniri, cujus tempus perdifficile saltem, ni impossibile, est determinare; atque iccirco determinatu difficilimum est, quibus in morbis acutis tenuis exquisitè victus non conveniat, ideoque sit periculosus. Hac autem re indicata quidem, sed indeterminata relicta, Aphorismus eam totam, quam potest, obtinet extensionem.

ADNOTATIO IV.

Licet Hippocrates de vasorum inanitione in toto Aphorismo nihil dicat, hic tamen ad eam necessario est referendus. Deducitur autem id perspicue a ratione, quam in ejusdem Aphorismi calce adducit. Nam, inquit, & repletiones, quæ ad extremum deveniunt, graves sunt, nimirum contrarietatem indicare intendit. Sed quænam unquam contrarietas se prodat inter victum extreme tenuem, & repletionem extremam? Nulla enim vero per se; at si victus extreme tenuis ut inanitionis causa consideretur,

profecto manifesta est, & qualis requiritur. Quoniam verò contrariorum eadem sunt affectiones, sequitur, si repletio extrema, quæ unum contrariorum est, & in quo summa a mediocritate distantia relucet, periculosa; aut gravis est, periculosam etiam esse, aut gravem inanitionem extremam, quæ ex adverso a mediocritate maxime distat. Placuit autem Hippocrati potius causam adducere, quam effectum, quæ phrasis etiam Naturæ scrutatoribus merito vitio vertatur, cæteris Scriptoribus, Medicis vero imprimis, est usitata, qui non raro promiscue causas pro effectibus, & effectus pro causis usurpant. Neque ideo reprehendus est Hippocrates, quod impropria loquendi ratione usus sit; præstat enim quandoque causam pro effectu adducere, tunc scilicet, quando aut notior causa, quam effectus habetur, aut in agentis potestate causa est, ut effectus obtineatur ab ea consecuturus. Cum autem in nostro casu in Medici electione, & ejus arbitrii sit, hanc, aut illam diætandi rationem instituire, ut effectus prodeat sive inanitionis, sive repletionis, constat, ad rem prorsus causam, idest victum tenuem, & exquisitum, sive ad extremum devenientem, in suo Aphorismo coniecisse Hippocratem; ut inde ex consequenti effectus etiam revelaretur. Accedit uberem sic sensu, & doctrina sententiam reddidisse; protulit namque regulas quasdam de diætandis agris, quas præscribere non potuisset, si de inanitione locutus fuisset, siluisset vero de victu.

Regulæ hæc sunt; victum tenuem, & exquisitum in morbis longis nunquam locum habere. Similiter victu tenui, & exquisito utendum non esse in illis morbis acutis, in quibus non convenit; unde consequitur, in aliquibus tamen acutis morbis victum exquisitè tenuem convenire, ac propterea esse instituendum. At quando

aperiet ipse Hippocrates in inferioribus Aphorismis; nosque etiam in nostris ad eisdem adnotationibus revelabimus. Docet tandem universim victum illum, qui ad extremum tenuitatis devenit, gravem esse, scilicet difficilis tolerantia, nimirum ubi etiam cateroquin requiritur.

ADNOTATIO V.

Periculum tribuit Hippocrates victui tenui, & exquisito in morbis longis omnibus, nonnullisque acutis, victui autem extreme tenui tantummodo gravitatem. Enim vero dum loquitur Hippocrates de victu tenui, & exquisito, specificè eum considerat, & relate solum ad illos morbos, in quibus non convenit. Convenire autem negat in chronicis morbis omnibus, & in nonnullis acutis, adducendo periculosum esse. At vero cum de victu extreme tenui verba facit, genericè ipsum considerat, quamobrem ubi non convenit non modo gravis est, sed præterea periculi plenus, id quod ex superiori dictis de victu exquisito tenui per se fluit. Si enim tenuis & exquisitus victus, & in morbis chronicis, & in nonnullis acutis periculosus est, & ideo quidem, quia diu protractus extremam inducit inanitionem, ob eandem rationem potiore jure periculosus est victus extreme tenuis quibus in morbis non convenit; brevi enim extremam inducit inanitionem. At vero quoniam quandoque, nimirum in morbis exactè peracutis, & in vigore non exactè peracutorum, & forte etiam nonnullorum aliorum acutorum, ut suo loco probabimus, convenit victus extreme tenuis, inedia videlicet, in quibus ad paucos dies protrahitur, licet non modo nullum ab eo habeatur periculum, quin immo multa utilitas, tamen gravitatem procreat, ideo difficilè tolerantiam, quæ, cum eveniat, propter virium languo-

rem, soboles inseparabilis est extrema vasorum inanitionis. Huic tamen occurrì facile potest cordialibus, & spirituosis medicamentis.

ADNOTATIO VI.

In nostra expositione contraria progressi sumus ratione, ac Hippocrates servavit in proponendo suo Aphorismo; non ideo tamen a vero ipsius sensu vel minimum nos recessisse autumamus. Hippocrates analyticè usus est methodo, quæ a principiatis ad principia progreditur, scilicet a thesi ad ejus rationem; & revera asserit, periculosum esse victum tenuem in morbis chronicis, idemque affirmat in illis morbis acutis, in quibus non convenit, inde ait gravem esse genericè victum extreme tenuem, quæ omnes theses sunt; tandem rationem e contrario adducit ex gravitate extremarum repletionum. Nos vero a principiis ad principia progressi sumus, id est a thesi ratione ad thesim ipsam, & ex æquali periculo in extrema inanitione, ac in extrema repletione, quoniam æqualiter a mediocritate recedunt, inferimus, posito extremam repletionem periculosam esse ex probatis in superiore Aphorismo, extremam quoque inanitionem esse periculosam; & quoniam extrema inanitio æque ponitur ab extreme tenui victu, ac a victu tenui, & exquisito, si uterque eo usque protrahatur, ut eam possit inducere (hoc tantum inter eos intercedente discrimine, quod multo citius ab extreme tenui victu procreatur, quam a tenui, & exquisito) hinc deducimus, & extreme tenuem victum periculosum esse, & præterea, ubi periculosus non est, esse gravem, & periculum tenuis, ac exquisiti victus in morbis omnibus chronicis propter diurnam eorum durationem, tum in nonnullis acutis vel ob eandem diurnam durationem, vel ob alias causas, velu-

veluti ex symptomatum gravitate, aut evacuationum multitudine, vel propter utrumque. Constat autem contrarietatem binarum harum methodorum sibi invicem non officere, cum utriusque ad eundem perveniatur terminum; synthesis enim, & analyseos idem est processus & ordo, cum synthesis analyseos vestigia sequatur.

APHORISMUS V.

In tenui victu agri delinquant: quo fit, ut magis ladantur. Quicumque enim error committitur, major in hoc fit, quam in pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus est valde tenuis, & constitutus, & exquisitus victus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus.

EXPOSITIO.

Hippocrates in precedenti Aphorismo demonstravit incommoda victus tenuis in duabus potioribus suis speciebus, motivo ducto ab intrinseca ejusdem victus natura; nunc idem ostendit ex delictis ægrorum in victu tenui. Et en connexio hujus Aphorismi cum superiore, intentio Auctoris, & ratio intentionis.

Quamquam vero in hoc Aphorismo unica thesis continetur, ut ex dictis patet, nihilominus tamen proclive est ipsum in tres distribuere partes, quarum prima affirmat, delicta ægrorum in tenui victu majora fieri, quam in paulo pleniore; secunda indicat id ipsum contingere in sanorum tenui, constituto, & exquisito victu; tertia demum ex prædictis concludit, victum tenuem, valdeque exquisitum periculosiorem esse victu paulo pleniore. Quare manifestum est, postremam hanc partem thesis esse probandam ex duabus primis, tanquam ex suis præmissis. Thesis autem sic syllogistica forma probatur.

Ille victus altero periculosior est, in quo errata evadunt majora, & difficilius feruntur. Sed in victu tenui

ægrorum errata evadunt majora, & difficilius feruntur, quam in paulo pleniore. Ergo victus tenuis paulo pleniore magis periculosus est.

Major ipso lumine Naturæ patet, nec ideo probanda; quamobrem ad minorem me converto.

Eadem est ratio victus exquisiti, & constituti sanorum ad victum liberaliorem eorundem, quæ victus tenuis ægrorum ad victum paulo pleniorum. Sed in victu exquisito, & constituto sanorum, ut experientia manifestum est, errata majora evadunt, & gravius feruntur, quam in eorundem victu liberaliori. Ergo in tenui ægrorum victu delicta majora sunt, difficiliusque feruntur, quam in victu paulo pleniori.

Atque hic mihi videtur non minus legitimus, quam perspicuus sensus hujus Aphorismi, a Commentatoribus cæteroquin in tot, tamque diversas inter se sententias distractis, obscuri adeo redditi, ut confusio potius, quam explicatio habeatur.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Victus tenuis, & exquisitus, sumitur ab Hippocrate in hoc Aphorismo diversa ratione in diversis ipsius Aphorismi partibus, & relative ad eos, de quibus in eisdem loquitur. Sic in prima Aphorismi parte, ubi de ægrotantibus sermonem habet, de quæ eisdem generatim, tenuis victus, & exquisitus non semper tenuissimus intelligendus est, sed quandoque tenuior, quandoque etiam simpliciter tenuis, prout ægrotantes aut acutissimo morbo, aut acuto vel non exacte, vel simpliciter, aut acuto ex decidentia, aut, si placet, chronico laborant; constat enim semper tenuem, & exquisitum victum illum esse, qui a quocunque ægroto ex Medici præscriptione

exacte servatur, relate sive ad symptomatum vehementiam, sive ad morbi durationem, sive ad utraque simul sumpta. Ita porro in secunda Aphorismi parte, ubi de tenui sanorum victu loquitur Hippocrates, victus hic intelligi debet tenuis quidem simpliciter, qui tamen ad mediocritatem accedat; nisi enim ejusmodi esset, servari vires pro indigentia non possent, ut sani conservarentur; quin immo ipsemet mediocris victus intelligi potest, qui nempe vires præcise conservat, quique relative ad sanos homines tenuis est; loquendo namque de sanis, Hippocrates enuntiat victum tenuem, & exquisitum, sanis videlicet proportionatum, sed præterea constitutum.

ADNOTATIO II.

JAm vero constitutus victus importat certam normam, quam sani quidam homines sibi ipsis præscribunt in fumendis cibis, relate & ad cibi quantitatem, & ad ejus qualitates, & ad sumptionis regulares quasdam leges quo ad intervalla, diei horas &c., & ad alia, si quæ sunt, quæ præfati sani, de propria sanitate tuenda, ac conservanda nimium solliciti, scrupulose nimis sibi imponunt.

ADNOTATIO III.

Hippocrates de erratis loquitur in utraque ex duabus primis Aphorismi partibus, quæ agris in prima, sanis in secunda tribuit; quænam tamen sint non docet, quamobrem id nobis est inquirendum. Itaque animadvertimus, loquendo de agris vix errata intelligi posse de victu eodem; nam si ægri relate ad morbum, quem sustinent, eam servant vivendi rationem tenuem, quam ipsis Medicus præscriptit (plures autem servant.) profecto in tenuis victus ratione nullum committunt errorem. Alia igitur errata intelligere debuit Hippocrates, quæ, utpote in ægrorum perniciem, ipsis tribuuntur, licet eorundem pravos effectus tantummodo experiantur. Delicta vero hæc alia esse possunt ex ipso morbo, alia e quibusdam extrinsecus ipsis ægrotis advenientibus, præsertim e non naturalibus rebus, quarum usus ab eisdem agris aut necessario habendus est, etiamsi ipsis perniciosus, veluti ab aere pravo inspirato, aut ipsis ex accidenti præposterus advenit, veluti ab ira, aliave animi molesta perturbatione, alia ab Adstentibus, alia ab aliis: ut v. g. si quis ægrotans

animi perturbationes ex ira, ex mœrore, ex amore, aliisve pateretur, si symptomata ipsius morbi acciderent, quæ ipsum in virium maximum languorem conjicerent, ita ut victum tenuem, & exquisitum ei morbo cateroquin convenientem sustinere non posset, si ab Adstentibus cibus potusque extra oportuna tempora offerretur, veluti in febrium accessionibus; quæ quidem, tum plurima alia errata, per sæpe ipsius ægroti non sunt; quoniam tamen in ipsius detrimentum accidunt, recte propterea ab Hippocrate agris tribuuntur, quorum tantummodo est perniciem trahere.

ADNOTATIO IV.

Delicta ab Hippocrate gravia nuncupata, difficilisque tolerabilia in tenui ægrorum victu, tum etiam in tenui, exquisito, & constituto sanorum, intelligenda sunt sic in iis accidere, ut si vel ægri non tenuem prorsus, & exquisitam victus rationem servarent, vel sani non tenui, constitutæ, & exquisitæ vivendi methodo se obstringerent, non amplius forent delicta, quoties aliquanto pleniore victu utendo, & quo ad sanos, non admodum etiam constituto, nullum caperent detrimentum. Quamobrem pater, Hippocratem, tum quando victum tenuem, & exquisitum ægrorum, tum quando tenuem, & constitutum, & exquisitum sanorum, periculosum affirmat (ut genericè ex ultima hujus Aphorismi parte ab eodem inferatur) intelligendum esse de eodem loqui comparative ad paulo pleniorum tum in quibuscumque agris, tum quoque in sanis, comparatum scilicet semper ad victum vel agris convenientem quolibet morbo affectis, vel sibi a sanis constitutum.

APHORISMUS VI.

Extremis morbis extrema exquisita remedia optima sunt.

EXPOSITIO.

Licet Hippocrates in duobus antecedentibus Aphorismis periculosam statuerit tenuem, & exquisitam victus rationem, quin immo vel periculosum, vel gravem, tenuissimum victum pronuntiaverit, non ideo tamen hanc utramque victus rationem a curatione morborum proscribendam esse in hoc Aphorismo videtur determinare, dummodo morbis solum extremis applicetur, & morbi extremitas periculum superet, quod a ratione victus haberi potest. Patet hinc quænam sit connexio hujus Aphorismi cum antecedentibus, quænam Auctoris intentio, & ratio intentionis.

Cum autem remedia quo ad quatuor debeant morbis proportionem habere, scilicet & in re, & in quali, & in quanto, & in modo: in re autem semper debeant opponi, in qualitate vero modo opponi, modo convenire; videtur divinus Senex supponere oppositionem in re, & vel oppositionem, vel convenientiam in qualitate, quibus suppositis affirmat, remedium, quod de cætero optimum est, si in morbo extremo debeat adhiberi, illud fore conveniens cum morbo ipso in sui extremitate, scilicet & in quantitate, & in modo agendi.

Unica est, & simplicissima aphoristica conclusio, quæ sic mea sententia potest probari.

Remedium optimum pro morbis extremis, debet cum eisdem concordare tum in quanto, tum in modo. Sed remedium extremum, si cæteras habeat condiciones, concordat cum morbo extremo tum in quanto, tum in modo. Ergo remedium extremum optimum est pro morbo extremo.

Major certa est. Minor autem probatur.

Morbus extremus ille est, qui magnitudine periculi, & motus celeritate reliquos superat; remedium vero extremum

est illud, quod effectus magnitudine, & promptitudine agendi cætera antecellit. Sed hoc est convenire cum morbo extremo & in quanto, & in modo. Ergo remedium extremum convenit cum morbo extremo & in quanto, & in modo.

Atque hic mihi videtur legitimus sensus hujus Aphorismi, qui loco etiam antecedentis inservit ad veritatem eliciendam subsequenti.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Remedia quadruplicem debent morbis proportionem habere, scilicet in re, seu essentia, in qualitate, in quantitate, & in modo. In re quidem, sive essentia, ita debent proportionata esse remedia morbis, ut iisdem opponantur; & quoniam morbi, loquendo de illis, quorum sedes in humoribus adest, aut in quantitate consistunt sive exuberante, sive deficiente; aut in eorundem humorum crassitate; aut in motu sive aucto, sive imminuto; ita profecto remedia morbis fluidorum applicari debent vel evacuantia, vel reficientia, si morbi essentia in quantitate constiterit; illa si plenitudo, hæc si inanitio morbum procreet. Dicroasia per remedia, quæ naturalem humoribus crassam restituant, tollenda est. Tandem si morbi essentia in præternaturali humorum motu sita fuerit, remedia adhibere opus est vel efferatum eorundem motum compescentia, vel languentem excitantia; qua in re satis patet, remedia semper debere essentia sua essentia morbi adversari, id quod est proportionem habere morbo quo ad ipsius essentiam, quod idem est, ac dicere in re. Id ipsum dicendum venit de morbis solidorum partium, ut consideranti facile patere poterit; qui enim morbi in partium laxitate con-

stituantur, roborantibus, & adstringentibus tolli debent: contra laxantibus qui constrictionem, seu contractionem præferunt. Hic autem obiter animadvertere oportet, morbos in re, seu essentia sua consideratos, patefacere etiam vel quantitatem, vel qualitatem, vel motum: ita porro morbi dicroasiam humorum præferentes aliquam etiam qualitatem necessario involvunt; pariter morbi, quorum essentia in motu est, cum motus modus quidam sit, propterea & essentiam, & modum ipsorum ostendunt.

Sed jam morbos in qualitate consideremus. Isti vel frigiditatem, vel caliditatem præferunt, vel siccitatem, vel humiditatem, vel crassitatem, vel solutionem, vel hujusmodi alia; & ita quidem frigida calidis, calida frigidis medentur, humida siccis, sicca humidis, in crassantia tenuibus, attenuantia crassis conveniunt; quamobrem patet alterantia nuncupata remedia qualitate sua, qualitati morbi debere opponi; contra ac est, cum de evacuantibus, sive de reficientibus sermo sit; debent enim vel quod exuberat evacuare, vel quod deficit restituere. Ex. gr. exuberat bilis, bilis est evacuanda, deficit autem, remedia sunt propinanda bilem regenerantia, sicque valentia deficientem bilem restituere. Hæc ad quaslibet alias qualitates morborum, sive fluidorum, sive solidorum, sunt applicanda;

K unde

unde patet, relate ad qualitatem, remedia illam debere morbis proportionem habere, qua cum morbo convenient, si de evacuantibus, eidem vero adversentur, si de alterantibus agatur.

Quod spectat ad requisitam remedium cum morbo in quantitate proportionem, hæc talis semper esse debet, ut illud cum morbo ipso conveniat. Et quoniam quantitas morbi potest considerari aut extensa, aut intensa, propterea remedia ipsa debent morbis proportionata esse quantitate sua aut extensa, aut intensa: ita porro quoties exuberans aliquis humor educendus est, in ea quantitate ejici debet, qua exuberat; cumque exuberantia vel ad pondus referatur, vel ad mensuram, quæ autem vel ad pondus, vel ad mensuram refertur quantitas, extensa dicatur: aut enim contrahitur ad exiguum pondus, v. g. paucarum unciarum, aut ad multum extenditur, v. g. ad libras, aut contrahitur ad paucas pro nostra norma constitutas mensuras, v. g. ad certæ magnitudinis phialam unam, vel alteram, aut ad plures extenditur, uti ad plures ejusdem magnitudinis phialas, sive, etiam ad paucas quidem, sed multo majores; propterea tot aut libræ, aut phialæ humoris ex. gr. ferosi educendæ sunt, quot illæ, quæ ejusdem ferosi humoris redundant. At loquendo de quantitate intensa hæc alterantibus potissimum est applicanda, de quibus superius diximus, oppositione morbi essentia proportionata esse debere, scilicet frigida calidis &c. Quoniam vero qui morbi essentiam suam in frigiditate v. g. habent, frigiditatem præferre possunt aut magis, aut minus intensam, quamvis semper supra mediocritatem sanitatis propriam, idcirco calida remedia ipsis applicanda magis, aut minus activa esse debent, & quidem in ratione frigiditatis in morbo observatæ; denique tantus futurus est caloris gradus frigiditati opponen-

bus, quantus gradus frigiditatis est supra mediocritatem sanitatis competentem a morbo inductus. Patet igitur quantitatem hinc respici non extensam, quæ in frigiditate, & caliditate ad æs & libram, ut dici solet, expendi nequit, sed intensam ab ipso frigiditatis, & caliditatis gradu constitutam.

Demum, quo ad modum, eam proportionem habere debent remedia morbis, ut semper cum morbo convenient, veluti in promptitudine, aut tarditate agendi, prout morbus aut celer, aut tardus fuerit; nam qui morbi celeres habent motus, remediis celeriter operantibus profigandi sunt: contra lente tractandi qui tardo feruntur motu. Quod de motus celeritate, aut tarditate morborum dictum est, deque promptitudinis, aut lentitudinis convenientia in remediis, ad alios morborum, & remediorum modos potest transferri, & patebit quidem, convenientiam remediorum cum morbis semper exposci: quanquam in modo ipso quandoque haberi potest oppositio, ea tamen, quæ ad qualitatem redigitur. Cum quis v. g. reponere vellet luxatum os in pristinum suum locum, id agere debet per motum contrarium ei, quo os luxatum fuit; quo quidem in modo apparet, ideo contrarietatem haberi, quia motus repositionis ossis qualitate sua contrarius est motui, quò idem os luxatum fuit.

ADNOTATIO II.

Hippocrates dicendo, extremis morbis extrema optima esse remedia, intelligit, hæc debere esse morbis proportionata tum in re, tum in qualitate, alias remedia amplius non essent. Neque enim quodlibet remedium cuilibet morbo medetur; quod ut generaliter verum est de quocunque remedio, & morbo, ita profecto verificari debet de remediis extremis rela-

te ad morbos extremos. Patebit hoc consideranti, remedia v. g. evacuantia morbis, quorum essentia in inanitione sita est, non modo non convenire generaliter loquendo, sed multo minus si de extrema inanitione, & extrema evacuatione ageretur. Morbis inanitionis rescipientibus occurrendum est, & quidem maximis, ubi maxima fuerit inanitio, si tamen statim eos agredi possimus, nec alia ab ipso morbo inducta sint, per quæ maxima resectio prohibeatur. Constat igitur, ut remedium extremum morbo extremo proportionatum reddatur, si ejus morbi remedium esse debeat, eidem opponi debere in essentia. Patebit etiam facile, debere vel concordare, vel opponi in qualitate; unde diximus in nostra expositione, videri Hippocratem supponere proportionem remedii ad morbum & quo ad essentiam, & quo ad qualitatem, qua proportione supposita, restat ut proportio habeatur quo ad quantitatem, & quo ad modum; in quibus proportionem sortiri remedia extrema morbis extremis manifestum fiet, cum revelaverimus quid extremitas importet tum in morbo, tum in remedio.

ADNOTATIO III.

MOrbus ergo extremus ille est, qui periculi magnitudine, & motus celeritate cæteros ejusdem suæ naturæ morbos superat. Dicimus ejusdem suæ naturæ; nam morbus aliquis extremus esse potest in una quadam linea, in qua superare debet cæteros morbos vel magnitudine periculi, vel celeritate motus, vel utroque, & tamen aut in alterutro ex his, aut in ambobus superetur ab alio morbo, qui itidem in propria linea extremus sit. V. g. morbus extremus est acutissima, sive exacte peracuta Febris, quæ ideo morbus extremus est, idest extrema Febris, quia cæteras Febres & pericu-

li magnitudine, & motus celeritate superat. Extremus item morbus est Apoplexia fortis relate ad cæteras Apoplexias, & extrema quidem est magnitudine periculi; habemus siquidem ex Hippocrate ipso secunda Aphorismorum quadragesimo secundo, *Apoplexiam fortem solvere impossibile est*. At vero morbus est etiam celerrimus; non quia necessaria sit motus celeritas in humoribus ad constituendam Apoplexiam, sed quia celerrime, hoc est citissime hominem interimit. Jam vero si contulerimus inter se binos præfatos morbos, nemini dubium esse potest, quin Apoplexia fortis gravior morbus sit, quam Febris acutissima; tum quo ad periculum, quod majus certe est in Apoplexia forti, quam in Febre acutissima, ex qua licet plerique ad mortem perducantur, nonnulli tamen quandoque evadunt, quandoquidem ab Apoplexia forti certâ semper affertur mors; tum quo ad morbi celeritatem, nam Apoplexia fortis quandoque statim ab invasione hominem interficit, sæpissime paucis horis, vix, & raro ad diem protrahitur; Febris vero, etiam acutissima, licet brevissimo tempore ad mortem perducatur ægrum, nunquam tamen id præstat ipsa prima invasionis die, plerumque autem ad quartam vel incipientem, vel desinentem perducitur.

Remedium vero extremum illud est, quod magnitudine, & promptitudine agendi cætera antecellit remedia, ea scilicet, quæ ei morbo extremo, pro quo ipsum est remedium extremum, conveniunt, & præterea in ea linea, in qua ipsum tale remedium est. Ut postrema hujus nostræ assertionis pars perspicua fiat, animadvertendum, eidem extremo morbo plura convenire quandoque remedia extrema; quod ut ostendamus, fumimus acutissimam Febrim, a qua & missio sanguinis, & victus tenuis indicatur. Porro remedia hæc duo acutissimæ

Febri conveniunt ad extremitatem perducta; scilicet missio sanguinis admodum larga exposcitur, & forte etiam celerrime repetita, quæ propterea sui effectus magnitudine, & promptitudine consuetas missiones sanguinis superat; sic victus tenuis ad suam extremitatem est perducendus, ideoque ad inediam, & ita quidem tum sui effectus magnitudine, tum agendi promptitudine cæteras tenuis victus rationes vincit. Constat tamen, inter binam hæc sanguinem minuentia remedia, sanguinis missionem largam tum majorem effectum edere, tum promptius agere, quam faciat inedia. Quamobrem liquet, extremitatem tum in morbo, tum in remedio non quamlibet esse sumendam, sed illam, quæ dictis rationibus ad morbum, & ad remedium pertineat.

ADNOTATIO IV.

MOrbi extremi, itemque remedia extrema periculum semper inferunt; ideoque cum dicitur, extremis morbis extrema exquisite remedia optima esse, intelligendum est, non modo illa remedia singulis quatuor rationibus in prima adnotatione propositis & explicatis convenire, sed præterea periculum a morbo majus esse periculo a remedio. Quamobrem quemadmodum semper prudenter se gerere Medicus debet in quorumcunque remediorum electione, & administratione, ita vel maxime id onus ipsi incumbit, cum de remediis extremis adhibendis cogitat, ac propterea nunquam debet remedia qualibet de ratione convenientia ad suam perducere extremitatem, in qua semper ali-

quod periculum adest, nisi comperit habere periculum a remedio minus fore periculo a morbo. Profecto Chirugi, brachio v. g. gangræna ab externa causa producta laborante, sollicitam ipsius brachii amputationem faciunt, licet pericula præsto sint, scilicet largæ hæmorrhagia, spasmus, & hujusmodi alia; sed quoniam hæc eventus incerta sunt, eisdemque advenientibus difficile non est occurrere, ex adverso autem gangræna, quæ brachii morbus est, ad interiora serpere potest, quod cum accidat, inevitabilis mors præforibus est; prudenter ideo in brachii amputatione se gerunt.

COROLLARIUM.

EX dictis in hisce adnotationibus facile erui potest; Aphorismum hunc sextum, qui simplicissimam, & universalem continet propositionem, referri ab Hippocrate ad diætandi rationem. Cum enim quarto, & quinto Aphorismo probaverit, tenuem victum in suis potioribus differentiis esse periculosum, statim in sexto hoc Aphorismo subjungit, extremis morbis extrema remedia optima esse; ut scilicet indicet, quandoque tenuissimum victum, etsi periculosum sive per se, sive ex rationibus extrinsecis, tamen quandoque convenire, in illis videlicet extremis morbis, in quibus victus tenuis cæteris de rationibus convenit; & sic quidem ad duos antecedentes Aphorismos refertur. Refertur præterea ad septimum, tanquam antecedens præmissum ad consequentiam eliciendam in ipso existentem; scilicet *ubi igitur morbus peracutus est &c.*

APHORISMUS VII.

Ubi igitur morbus peracutus est, statim habet extremos labores, & extreme tenuissimo victu utendum est. Ubi vero non, sed pleniorum victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.

EXPOSITIO.

Nemini dubium esse debet, quin Aphorismus hic consequentiam contineat immediate fluentem a præcedente Aphorismo, tanquam ab ejus antecedente, cui necessario connectitur. Cum itaque in sexto habeatur, extremis morbis extrema exquisite remedia optima esse, consequens est ut qui morbi characteres habent extremorum, videlicet magnitudinem periculi, & motus celeritatem, ii extrema exposcant remedia, inter quæ cum extreme tenuissimus victus, hoc est inedia, recenseatur, eisdem propterea convenit victus extreme tenuissimus. Verum non contentus Hippocrates Aphorismo hoc illationem, quam diximus, deducere pro diætandi ratione in morbis extremis, qui sunt exacte peracuti, sed intendens præterea regulam generalem præscribere diætandarum ægrorum in quibuscunque acutis morbis; idcirco exacte peracutos pro norma sumit, eosque ait esse, qui statim extremos habent labores, id est qui & gravissimis stipantur symptomatibus, & celerissimi sunt. Patet igitur non modo quæ connexio sit hujus Aphorismi cum sexto, verum etiam quænam divini Senis intentio, intentionisque ratio. Patet item unicam continere sententiam, eamque vere aphoristicam tota sua latitudine extensam, duas tamen continentem partes, quas sic placet unico contextu probare.

Extremis morbis extrema remedia optima sunt. Sed morbi peracuti sunt morbi extremi, id est in quibus statim extremi habentur labores. Ergo in morbis peracutis extrema remedia conveniunt. Subsumo. Sed inter remedia extrema

extreme tenuissimus victus recensendus est. Ergo in morbis peracutis extreme tenuissimus victus adhibendus est.

At vero in morbis acutis generice sumptis reciproce proportionatus reddendus est victus. Ergo quo morbi acuti ab extrema acutie recedent; idest quo molliores erunt, eo plenior victus est adhibendus; quod idem est, ac dicere, tantum cibi indulgendum esse, quantum morbus extremis est mollior.

Hic autem mihi videtur genuinus hujus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I. vivere, & necessario esse e vita decessuros.

Cum ex iis, quæ in prima ad Aphorismum quartum adnotatione de diversis morborum acceptio- nibus recensuimus relate ad tempora, quæ ipsi percurrunt, peracutos morbos dixerimus in duplici differentia constitui, in quarum alia comprehenduntur morbi exacte peracuti, qui scilicet ad quartam, aut vix ultra extenduntur, in alia vero recensentur morbi non exacte, seu simpliciter peracuti, qui videlicet sese extendunt ad septimam circiter; hoc in loco de primo acutorum genere loquitur Hippocrates, de quibus verificatur, statim extremos habere labores, & extreme tenuissimo victu utendum esse; quod non item verum est de simpliciter peracutis morbis, in quibus extremi labores post quartam plerumque habentur. Nam si in eisdem tenuissimus victus adhibendus esset a morbi initio donec extremi durant labores, cum tenuissimus victus sit inedia, non posset profecto ægri usque ad septimam perdurare, quemadmodum opus est, id ipsam eodem fatente Hippocrate libro de Carnibus, ubi versus finem asserit, non posse homines usque ad septimam diem sine cibi assumptione

ADNOTATIO II.

Peracuti morbi sumuntur ab Hippocrate tanquam morbi extremi. Id aperte indicant verba, *statim habere extremos labores, & extreme tenuissimo victu utendum est.* Id ipsum evincitur ex relatione, quam in hoc eodem Aphorismo idem Hippocrates ponit cæterorum morborum acutorum ad peracutos, de quibus ait, tantum cibi indulgendum esse, quantum morbus extremis est mollior; cum autem extremi non sint omnes peracuti morbi, sed tantum qui exacte peracuti sunt; propterea fit, ut morbos peracutos in hoc Aphorismo stricta hac significatione sumat Hippocrates, non vero de quibuscumque peracutis loquatur.

ADNOTATIO III.

Ubi Hippocrates ait, peracutos morbos statim extremos habere labores, *ly statim* intelligendum non est stricta sua significatione; ita ut necessario extremi habeantur labores in ipsa morbi invasione, sed certa qua-

quadam latitudine, ita ut & prima post invasionem die, & secunda, & tertia, & quarta tantum quandoque extremi labores habeantur.

ADNOTATIO IV.

Verbum *labores* importat congeriem, & vehementiam symptomatum, quæ cum ab ægro debeant perferri, jure ipsis ab Hippocrate laborum nomen adscribitur, quando potius causæ sunt laborum in ægro.

ADNOTATIO V.

Extrême tenuissimus victus convenit extrême peracutis morbis ratione extremitatis, idest juxta ea, quæ ad superiorem Aphorismum adnotavimus, conveniendo cum morbo tum effectus magnitudine, tum agendi promptitudine, scilicet & in quanto, & in modo. Supponendum autem semper est, quemadmodum ibi diximus, proportionem habere remedium morbo & in re seu essentia, & in qualitate; unde Hippocrates censendum est morbis exacte peracutis tenuissimum victum adscribere relate ad quantitatem, & modum, idest quo ad effectus magnitudinem, & actionis promptitudinem, dummodo tenuissimus victus, prout remedium generica ratione sumptum, quo ad reliqua etiam, quibus morbo proportionem debet habere, sit præscribendus.

ADNOTATIO VI.

Morbos exacte peracutos, ex interpretatione a nobis data secunda ad hunc Aphorismum adnotatione, sumit Hippocrates pro norma ad generatim stabiliendam dietandarum ægrorum rationem quo ad cibi offerendi quantitatem, & modum in quibuscunque morbis. Hac autem in re illud est attendendum, scilicet, cum dietandi

ratio desumatur a cibi ægris exhibendi quantitate, hanc servandam semper esse in reciproca ratione acutiei morbi, ita ut quibus in morbis acuties maxima est, victus exacte tenuissimus adhibendus sit, hoc est inedia instituenda, quæ omni a cibo abstinentia perfolvitur; contra in morbo simpliciter acuto inter tenuis victus differentias illa est eligenda, quæ mediocri victui magis accedit; ita porro agendum in morbis mediæ acutiei, ut quo acutior morbus est, eo minor sit cibus, & contra; uno verbo reciproca semper esse debet cibi exhibitio cum morbi acutiei. Id ex ipsis Hippocratis verbis eruitur; postquam enim dixit, tenuissimo victu utendum esse, ubi morbus extremos habet labores, statim subjungit *ubi vero non* (idest ubi extrême peracutus non est) *sed pleniorum victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior*: quibus in verbis perspicuum est, comparari morbos quoscunque acutos morbis exacte peracutis, prout ab exacta acutiei magis, minusve recedunt, & quemcunque tenuem victum victui tenuissimo, prout magis, vel minus ab extrême tenuitate, videlicet ab inedia, distat. Liquet præterea, statuere Hippocratem pro cibi exhibitione generalem hanc regulam in morbis acutis servandam, ut scilicet tanto plus cibi offeratur, quantum morbus extremis est mollior, quod idem est, ac dicere, quantum morbus ab extremis in acutiei recedit. Igitur qui morbus minus acutus erit, majorem exposcet cibi quantitatem, quo vero majorem acutiem præferet, eo minore cibi exhibitione erit tractandus; & in hac quidem offerendi cibi quantitatis oppositione ad morbi acutiem manifesta refulcet proportionis reciprocatio.

COROLLARIUM I.

EX dietis apparet quomodo Aphorismus hic septimus connectatur cum superioribus, qui nihil aliud sunt, nisi quædam ad hunc præliminaria. Id autem ita dico, quia quo ad quartum, quintumque Aphorismum, nullam certe dietandi rationis regulam continent, sed tantum probant, quartus ab intrinseca victus rationis natura, quintus ab extrinsecis ægro advenientibus, potiores tenuis victus differentias periculosas esse, & difficile tolerari; quod vero spectat ad Aphorismum sextum, hic generalem regulam exponit adaptandi remedia quælibet quo ad effectus magnitudinem, & agendi promptitudinem morbis magnis, & celeribus, idest extrema extremis esse pro-

portionalia reddenda, sub qua generali regula comprehenditur hac peculiaris, nimirum extreme tenuem victum exacte peracuto morbo convenire.

COROLLARIUM II.

Apparet secundo, tenuissimum victum sumi ab Hippocrate pro remedio, quod convenit morbo exacte peracuto. Cum vero non doceat Auctor noster quomodo tenuissimus victus, aut alius quicumque tenuis victus gradus acutorum morborum sit remedium, id nobis esset hoc loco inquirendum; sed cum ostensum id sit a Dominico Parente nostro in brevissima Exercitatiuncula de Dietandi ratione ex Hippocrate, ad eam illos remittimus, quibus id scire interesse potest.

APHORISMUS VIII.

Quando morbus in sui vigore consliterit, tunc tenuissimo victu utendum est.

EXPOSITIO.

Cum in præcedenti Aphorismo generalem regulam promulgaverit Hippocrates de recta dietandi ratione in quibuscunque acutis morbis, transit in hoc ad stabiliendam regulam particularem, quæ ex ea deducitur, respiciendo tempus determinatum, quo morbus in sui vigore consistit, quo tempore victum tenuissimum adhibendum esse statuit. Erui ex his facile potest & connexio hujus Aphorismi cum antecedente, & Auctoris intentio, & ratio intentionis.

Unica est propositio, unicumque præceptum, nullam idcirco admittens divisionem. Potest autem sic probari.

Illud morbi tempus eandem victus rationem exspectat, quam exposcunt morbi peracuti, quod hisce potest equipa-

rari. Sed tempus, quo morbus in sui vigore consistit, æquiparari potest morbis peracutis. Ergo quo tempore morbus in sui vigore consistit eandem exposcit rationem victus, quæ peracutis morbis convenit. Subsumo. Sed morbis peracutis ex antecedenti Aphorismo tenuissimus victus convenit. Ergo & quo tempore quilibet morbus in sui vigore consistit tenuissimo victu utendum est.

Probatur minor prima argumenti. Tam in vigore quorumcunque morborum extremi adsunt labores, idest symptomatum vehementia, & motus celeritas, quam in morbis peracutis. Sed hoc est posse æquiparari tempus, quo morbus in sui vigore consistit, cum morbis peracutis. Ergo tempus, quo morbus in sui vigore consistit, æquiparari potest morbis peracutis.

Et hic mihi videtur verus hujus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

MOrbi in sui duratione dividuntur a Medicis in quatuor tempora, scilicet in morbi initium, ejusdem incrementum, statum, & declinationem. Principium morbi non ipsa tantum invasio est, sed illud tempus totum, quo morbus manifestatur quidem, sed viribus languidis, nec magna symptomatum vehementia, aut multitudine refertus, quo tempore æquilibrium quasi quoddam haberi videretur inter vim morbi tentantis ægrum profertere, & vires ægri ipsi morbo resistentis. Incrementum illud est tempus, quo morbus majores adeptus vires, ægri naturam superat, in ejusdem semper majus detrimentum, in quo quidem notare est suum initium, medium, & finem. Quando vero morbus nullas amplius ostendit novas vires; scilicet quando symptomata nec crescunt numero, nec vehementia, quo-

niam hæc per certum quoddam tempus in eodem gradu persistunt, ad quem a crescente morbo evecta fuerunt, tunc status morbi haberi dicitur, in quo item observatur principium, medium, & finis. Tandem quando morbus remittit, tum quo ad vehementia, tum quo ad multitudinem symptomatum, apparentibus crisis, quo tempore morbus ab ægri natura superatur, tunc dicitur declinatio, quæ ipsa quoque principium habet suum, medium, & finem, decrescentibus semper utraque dicta ratione symptomatibus, ut tandem omnino cum morbo ipso cessent, quo tempore non amplius declinatio, sed finis morbi habetur. Advertendum autem est, profligato etiam morbo, nonnulla in homine, qui ægrotans fuit, adhuc observari, quæ effectus sunt tantummodo morbi, a quo confictatus fuit, permanentes; veluti virium animalium languor, languor item appetitus,

titus, facies decolor, certa quædam macies, & huiusmodi alia, quæ tamen paulatim cessant, prout a progressu morbo fit recessus.

Morborum temporum distinctio, pro Medicorum varietate, a variis deducitur. Alii namque observationem inducunt symptomatum, ex eisque vel apparentibus, vel crescentibus, vel sine ullo incremento permanentibus, vel imminutis, quatuor supradicta morbi tempora distinguunt: isti autem Medici observatores appellantur; verum observatio hæc, si simplex fuerit, nec ad suas veras causas referatur, rudis nimis est, & flocci facienda. Alii, qui Phylologi dicuntur, & quorum mos est omnia trahere ad vulgares similitudines, ut ægroto, cæterisque non Medicis placeant, certum quoddam inter morbum, & ægrum, sive ægri naturam certamen inducunt, ad quod morborum tempora referunt. Dicunt autem, tunc morbi initium haberi, quando morbus vires ad pugnandum æquales habet cum ægri natura, ita ut eorum neuter victoriam possit ostendere. Quando vero morbus acquirit vires tales, quibus illas superet ægri, tunc morbum, inquit, in incremento esse. At cum morbus vires suas omnes acquisivit, non ita tamen, ut æger aliquilibet ad resistendum viribus destitutus sit, & in ambiguo adhuc maneat cuiusnam victoria futura sit, tunc morbus in statu ab ipsis appellatur. Tandem quando superante ægro in pugna hac morbum, & vel a medicamentis, vel ab alio quopiam is adutus virium suppetias adeptus est, morbus mitescit, ab hoc tempore, quod victoriæ ægri initium est, usque ad illud, quo morbus omnino prostrigatur, declinationem morbi constituunt, qui tunc tandem cessat, quando victoriæ ægri complementum, & finis habetur. Sed hæc quam apposita similitudo est ad satisfaciendum eis, qui Medici non sunt, rudi quadam

explicatione, tam Medico indigna est. Si quidem rem apte proferunt, qui Physiologici nuncupati, morborum temporum diversitatem a vario materia morbifica statu mutuant. Materia hæc principio quidem morbi cruda vocatur, exiguæque mobilitatis est, & quousque in hoc statu manet, morbum in initio esse statuunt. Eadem dein in motum adigitur, tentaturque a viribus, quas concoquentes nuncupant, dissolvi, & attenuari, ipsa tamen adhuc admodum resistente, quo fit, ut hæc impetus exerat, per quos & symptomata efferata evadunt, & numero crescant, ideoque læsiones in ægotantis corpore semper majores manifestantur. Id tempus est, quo augmentum morbi concipiunt. Statum vero stabiliunt, quando materia morbifica a concoctricibus viribus ita exagitur, dissolvique tentatur, ut, licet solutionem non patiat, ad eandem tamen disponatur, nec certe majorem resistendo impetum nanciscatur, quare symptomata morbum concomitantia nec numero crescant, nec ad majorem evehantur impetum; sed in numero, & in vehementia jam acquisita permanent. Quando tandem materies ipsa morbifica dissolvi incipit, & cuiuspiam secretorio organo proportionalata evadere, ita ut aliqua ejus secretio appareat, & quidem cum ægri levamine, remittentibus symptomatibus, signisque quibusdam sese manifestantibus concoctionis materiæ, & alicujus proxime futuræ crisis, concoctio, materiæ morbificæ haberi dicitur vel perfecta, vel imperfecta, cui concoctionis gradui gradus item crisis proportionalis respondet, ad totam tandem hominis sanationem; & tempus quidem hoc totum declinatio morbi a physiologicis Medicis appellatur vel incipiens, vel perseverans, vel finiens. Horum autem omnium sua sunt non ignobilia fundamenta a Galeno suo modo proposita, a nobis vero ad sanationem

niorem ratiocinandi rationem trahenda, quod cum ad vigesimum secundum Aphorismum peculiariter spectet, de hoc sermonem facturi præstabimus. In hanc autem rem animadvertere oportet, totum hoc philosophandi genus iis tantum applicari morbis posse, quos humorales vocant, & quorum essentia sita est in materia quadam certis quibusdam affectionibus, & conditionibus prædita, per quas mobilis sit, aut reddi possit; quod cum omnibus acutis morbis cujuslibet gradus competit, tum etiam nonnullis chronicis, & quidem pluribus, non tamen omnibus accommodatur, ut perspicue apparet de morbis illis, quorum essentia in labefactata partium structura sita est. Id ipsum plane constat congruere cum fundamentis tum Observatorum, tum Phylologorum. Præterea animadvertere est, non omnes morbos cuncta dicta tempora percurrere, & abolvere, sed eos tantum, qui ad sanitatem perveniunt. Nam in illis omnibus, qui mortem inferunt, declinatio saltem deficit, sæpe status, quandoque etiam aut universum, aut ex parte augmentum. Sed principio morbi, etiam si videantur aliquando ægri e vita decedere (nisi mors subitanea fuerit, quo casu vix ægotasse dici potest Homo) nemo sine aliquo morbi incremento moritur.

ADNOTATIO II.

Aphorismi hujus veritas ab ipsa brutorum observatione, & a quadam Naturæ lege in Hominibus ostenditur. Nam ægotantia bruta, licet suapte natura voracia, aut paucum, aut nullum capiunt cibum, prout morbus vehementior est, aut vehemens, & sive in vigore sit, vel non. Ita porro Homines cibum plerumque non appetunt, & morbo vigente adeo respunt, ut vix a Consanguineis, aut ab Adstantibus rogati, ad parcissimam

quandam cibi portionem fumendam inducantur. Hujus rei ratio potissima est, quod cum humoralis massa propter tumultuantem morbificam materiam incongruis agatur motibus, in causa sit, ut secretiones quælibet minuantur, ideoque illa etiam spirituum animalium parca omnino contingat, unde organa ciborum concoctioni dicata vi sua infracta manent. Minuuntur item secretiones liquorum omnium, rectæ, & perfectæ chylicationi quomodolibet faventium, qui cum ii iidem sint, qui sanitate vigente, vacuo ventriculo famem excitant; ita porro oportet, ægros præsentem morbo appetitus dejectione laborare. In quo, ut diximus, lex veluti quædam, & providentia Naturæ perspicitur in Hominibus ægotantibus, vel ea ex necessitate consequentiæ sit, & ab iis fluat, quæ in ægris contingunt, vel e quolibet alio. Diximus autem, veritatem hujus Aphorismi ab ægotantium brutorum observatione, & a lege veluti quadam Naturæ in ægotis Hominibus ostendi; nam ratiocinio tantum utentes, adduci possemus facile ad oppositum credendum. Quando enim morbus in sui vigore consistit, certum est, vires ægri admodum esse labefactatas; cum autem vires ab alimento reparentur, facile videri potest, eo tempore uberius cibandum esse ægrum, ut deperditæ vires restituantur; & tamen ex indicata observatione in brutis, & lege in Hominibus docemur, tenuissimum victum, quin immo inediam ipsam sæpe, consistente in sui vigore morbo, expostulari. At vero rei hujus physica quoque habetur ratio, illa videlicet, quam superius tetigimus, & quæ liquido apparet relatæ, ad causas cibum concoquentes, seu digerentes in primis viis: ex quibus eruitur, cibos denegandos esse illis, qui concoctrices ciborum causas valde languidas habent, quod cum in summo gradu eveniat quo tempore mor-

bus est in vigore, propterea, ne tunc crudus chylus elaboretur, qui delatus in sanguinem læsionem in universo corpore adaugeat, aut nullus, aut vix certe ullus, & quidem in forma potus, cibus est offerendus: quamobrem patet, vigente, & consistente morbo, tenuissimum victum adhibendum esse, tanquam remedium præservativum. Id ipsum relucet etiam, si victum eundem consideremus tanquam remedium curativum in quibuscunque saltem acutis morbis. Ut igitur ostendamus, inedia, & quamlibet aliam tenuis victus rationem, utpote de inedia participantem, remedium curativum esse morborum eorum, quorum essentia in mobili materia consistit, præsertim vero acutorum, de his supponendum nobis est, perturbatum semper haberi in fluidis motum, atque vel inflammationem, vel proximum inflammationis periculum. Cum autem hujusmodi morbi, quando ad statum suum pervenerunt, deposuerint jam in inflammata parte quidquid subsidere poterat, aut saltem totum eum organismum acquisiverint, quem nancisci potuerunt, idcirco est, ut utraque ratione ea indicata remedia sint, quæ plenitudinem

tollunt, scilicet inanitionem inducentia: cumque abstinencia a cibo maxime valens remedium sit ad inducendam inanitionem, hinc maximum remedium est acutorum morborum in suo statu existentium; tunc enim, quæ maxima haberi potest, in quolibet acuto morbo adest plenitudo: Hinc est, ut antequam morbus ad sui vigorem, five consistentiam perveniat, non tenuissimus victus, sed tenuis præscribendus sit in vario gradu, semper tamen reciproce proportionali ad morbi acutiem, quemadmodum in superiore Aphorismo nos docuit Hippocrates.

ADNOTATIO III. †

Commentatores fere omnes morbi consistentiam referunt ad materiæ concoctionem, & crises. Ajunt enim tunc materiem morbificam concoqui, & proxime disponi ad crises faciendas. Quod quam ad rem sit, patebit ex iis, quæ dicturos nos esse occasione vigesimi secundi Aphorismi polliciti sumus, quo loco apparebit, quomodo si cibus consistente morbo offerretur, materiæ coctioni officere posset, & crises impedire.

APHORISMUS IX.

Conjectari autem oportet, an æger sufficiat perdurare ad morbi vigorem: & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare; vel morbus antea deficiat, atque hebetescat.

EXPOSITIO.

IN præcedenti Aphorismo docuit Hippocrates, quando morbus in sui vigore consistit, tenuissimo victu utendum esse; ex sui natura fluit consequentia: Ergo antequam consistat morbus in sui vigore, ægri uberius sunt cibandi. Quanam

vero mensura, non patet. Hinc licet consequentia verissima sit, nihilominus tamen quantitas cibi ægris offerendi remanet determinanda.

Quoniam vero morborum etiam acutorum non eadem est duratio, optime cognoscens divinus Senex, generalem, certamque normam præberi non posse pro quantitate cibi constituenda a morbi initio usque ad ejus vigorem, hinc conjecturam proponit faciendam relate ad virium conservationem; quæ quidem conjectura multiplex est, & desumi potest tum a varia morbi acutie, & symptomatum diversitate, tum ab aliis circumstantiis, ætatis nempe, anni temporum, temperamentorum, consuetudinis &c., quarum præcipuas exponit in hæc prima sectione ab Aphorismo decimo tertio ad decimum octavum inclusive.

Patet igitur non solum hujus Aphorismi cum antecedente connexio, Auctoris intentio, & intentionis ratio; sed etiam quam relationem habeat subsequenter indicatis. Sic autem in hoc Aphorismo videtur Hippocrates ratiocinari.

Ægri debent posse constare viribus per illud totum tempus, quo tenuissimo victu uti debent. Sed hoc tempus illud est, quo morbus in sui vigore consistit. Ergo ægri debent posse constare viribus per universum morbi vigorem. Sed per totum hoc tempus viribus constare non possunt, nisi uberius cibentur ab initio morbi usque ad ejus vigorem. Ergo a morbi invasione usque ad suum vigorem uberius cibandi sunt ægri. At vero genericè statui nequit quantitas cibi concedendi a morbi invasione usque ad ejus consistentiam. Ergo conjectura id assequi oportet.

Conjectura autem hæc debet referri ad vires tum morbi, tum ægri; num scilicet vel æger cum victu initio morbi instituto possit durare usque ad morbi vigorem, num cum eo prius defecturus sit æger, quam morbi vigor adveniat, num tandem desiturus sit prius morbus, quam ægri robur. Est autem ipsa eadem Aphorismi sententia.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Quemadmodum inedia, hoc est absoluta a cibo abstinencia, tum etiam quælibet alia tenuis victus ratio, quatenus magis, minusve de abstinencia participat, utpote remedium & præservativum, & curativum plurimorum morborum, quod in antecedente Aphorismo probavimus, a morbo indicatur, ita porro indicatur a viribus cibi exhibitio; qua in re oppositio quædam sese offert: morbus namque cibum respuit, vires exposcunt. Necessè igitur est rem ita attemperare, ut quo tempore cibum offerre concessum est ad vires conservandas, id ita præstetur, ut regula quædam habeatur, qua stabiliri possit, quam mensura ægri cibandi sint quocunque in morbo ante morbi consistentiam, ante scilicet illud tempus, quo tenuissimo victu pertractandi sunt, ut viribus possint per totum ejusdem morbi vigorem constare. Ad rem prorsus conjecturam proponit Hippocrates capiendam, quam in hoc nono Aphorismo refert ad vires tum morbi, tum ægri. Quoniam vero hujusmodi conjectura a pluribus pendet relate vel ad morbum, vel ad ægrum, vel ad alias circumstantias, hæc non adducit in præsentem, sed in aliis Aphorismis, quo ad præcipua saltem, nempe a decimo secundo infra. Hujusmodi autem conjectura ad tria referri potest, vel ad vires ægri, quæ duraturæ sint usque ad morbi vigorem inclusive, vel ad ejusdem vires, quæ defecturæ sint ante morbi vigorem, sive in ipso vigore, vel etiam ad vires ægri ipsius valentes adeo, ut non modo universo vigore morbi, sed integra etiam declinatione, & ultra, æger possit perdurare. Apparet igitur, vires ægri comparandas semper esse cum viribus morbi, in quibus si æqui-

librium veluti quoddam fuerit, ut vires ægri perdurare tantummodo possint usque ad morbi vigorem inclusive, jam quantitas cibi a morbi gradu indicata nullatenus, est alteranda neque adjectione, neque detractione; si vero vires ægri minores fuerint, quam requiratur, ut per totum morbi vigorem perdurare possit, victus ratio a morbo expostulata cibi adjectione est alteranda; tandem si vires vividiores sint instituta victus ratione, quam natura morbi exposcit, tunc ratio cibandi ita regenda est, ut aliqua cibi portio pro indigentia subtrahatur: atque huc tendit conjectura in Aphorismo hoc nono ab Hippocrate proposita. Quamobrem quæ dictandi ratio ab eodem Hippocrate Aphorismo septimo præscripta fuit, quia in usu regularum universalium diversitas circumstantiarum sæpe numero exceptiones parat, est aliquantulum mutanda; idcirco ad eas recte institutandas conjecturam jam dictam exhibet, quasi dicat: ubi inter morborum initia, ex signis, symptomatibus, aliisque quibuscunque, quibus acutiei morbi gradus potest determinari, cognoverimus terminum dierum, quibus futurus est, & duraturus morbi vigor, & per regulas generales apparuerit quænam victus ratio ipsi debeatur, id non sufficit, ut eam protinus amplecti debeamus, sed vires attendendæ sunt modo supra exposto. Attendendæ præterea sunt circumstantiæ petita potissimum ab ætate, temperamento, anni tempestatibus, consuetudine &c., quas decimo quarto, & decimo quinto Aphorismo complectitur.

ADNOTATIO II.

EX hoc ipso, quod conjectura a supra indicatis capienda sit, ut recta institui possit dictandi ratio, re-

digue a generali indigentia ab acutie morbi exposita ad illam præcise, quæ requiritur, ut æger possit per universum morbi statum viribus constare, non potest ea ad æs, & libram, ut solet dici, expendi; id enim fert conjecturæ ratio, quæ aliquam semper finit obscuritatem, & dubietatem. Facit id, ut postquam cognovimus, non modo quænam a natura morbi, ante ejusdem consistentiam, cibandi ratio exigatur, sed etiam ab aliis circumstantiis, ad quam mensuram sit redigenda, semper tamen abundare non nihil debeamus, aliquanto plus cibi offerendo, ut certi simus, ægrum vere persistere per universam morbi consistentiam posse. Persæpe enim contingit, ut qui morbus a nobis creditur duraturus v. g. usque ad septimam, vel propter morbi ipsius recrudescentiam, vel propter aeris inclementiam, vel propter errores sive ab ægro, sive ab assistentibus in ejus detrimentum perpetratos, sive alias ob causas, ad decimam quartam, aut ultra extendatur. Quamobrem si illam præcise cibi quantitatem concederemus, quam sufficere conjectati sumus ex consideratione naturæ morbi, & ægri, tumque circumstantiarum omnium, cogeremur non raro institutæ vivendi rationi aliquid adjicere; qui ordo & processus omnino præposterus est, ipso distante Hippocrate libro de Ratione Victus numero nono, ubi docet, præstare de tractioni potius studere, quam adjctioni. Igitur aliquanto semper tardior nobis fingenda est morbi consistentia, quam ipsa ferat conjectura; in quo peragendo, si in aliquam inciderimus hallucinationem, dummodo nimia liberalitate non peccemus in cibo ægris concedendo, facile, adveniente morbi consistentia, sive ad eam properante morbo, quod supra indigentiam oblatum est, possumus subtrahere.

ADNOTATIO III.

Vires memorata superius conjectura respiciendæ sunt, quæ vitales appellantur; nam per eas vivimus. Profecto de iis Hippocratem loqui manifestum est; suam enim conjecturam ad hoc dirigit, ut æger perdurare possit usque ad morbi vigorem, quod idem est, ac dicere, ut æger possit vivere. Notum autem est, vires in triplici differentia a Medicis constitui, quarum alias vitales dicunt, alias naturales, & alias animales, quas explicare superfluum duco, cum ex medicis Institutionibus notas supponam. Quanquam tamen vitales vires præ cæteris respiciendæ sunt in instituenda victus ratione singulis ægris singulariter proportionata, tum relate ad morbi naturam, tum relate ad circumstantias omnes, a quibus hippocratica conjectura capienda est, & illæ quidem solæ considerandæ sunt, si de nonnullis morbis, veluti de peracutis, agatur, in aliis tamen dimittenda non est naturalium quoque conservatio, præsertim vero illæ, quæ cibi concoctioni destinatæ sunt; siquidem si in iis morbis liceat aliquam cibi portionem ante morbi statum ægro offerre, oportet equidem chylosificationis causas omnes vividas esse, quantum saltem opus est, ut laudabilis chylus ex oblato cibo possit elici. Immo in nonnullis morbis, quorum acuties minima est, sed longa duratio, & in quibus propterea, ab invasione morbi ad statum, longiusculum intercedit temporis intervallum, conservandæ idcirco sunt vires diu, easque præstat vividiores fervare, quam præcisa vivendi necessitas postuler. Nam quamvis animalibus viribus non vivat Homo, cum tamen per has commode, & suaviter vivat, injurios nimis ægrotanti Medicus esset, si easdem præter rationem, & necessitatem proflerni sineret. Id

tantum monemus, ne hisce in casibus nimium in ægri præjudicium indulgeamus; ideoque primum, & necessario rationem habendam esse conservandarum virium vitalium, secundo loco naturalium, ne vitium in chylicatione accidat, demum animalium, a quibus persæpe non modica utilitas promanat.

ADNOTATIO IV.

Conjectura, quam adhibendam vult Hippocrates in comparanda victus ratione viribus, & in dijudicando, num æger ea perdurare possit usque ad morbi vigorem, est, ut inquit Peusippus libro de Definitionibus Platonis, rei latentis iudicium. At vero iudicium hoc temerarium non esse oportet, immo vero rationi consonum exposcit Galenus Libro de Crisibus, capite nono. Hujusmodi autem

erit, si ad veritatem, quam proximius decet, accesserit, quandoquidem datum non sit eam prorsus attingere. Ipse vero Galenus libro primo de Victus ratione in acutis, commentario quadragesimo quarto, fundari ait præfatam conjecturam in consideratione (1) temperamenti (2) habitus corporis (3) dispositionis oris ventriculi (4) vitalis virtutis (5) regionis (6) ætatis (7) anni temporum, & (8) consuetudinis; quibus liceat nobis duo alia adjicere, scilicet morbi ipsius naturam magis, minusve deicientis vires, & symptomata morbum concomitantia, imprimis vero evacuationes quascunque: quibus omnibus recte perpenſis, facile conſpicere poterimus, utrum illa, quam instituimus, victus ratio sufficiat, aut non, ad vires conservandas, saltem vitales, usque ad univcrsum, & integrum morbi vigorem.

APHORISMUS X.

Quibus igitur statim morbus in vigore consistit, iis etiam statim tenuis victus adhibendus est: quibus vero posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus; prius vero uberius victus adhibendus est, ut æger sufficiat.

EXPOSITIO.

Postquam conjecturam proposuit Hippocrates in præcedenti Aphorismo pro norma generice capienda cibandorum ægrorum ab initio morbi usque ad vigorem ejusdem, relate ad virium conservationem; æquum erat ut ex eadem conjectura regulam eliceret, qua specificè magis stabiliret, quam diætandi ratione utendum sit in morbis quibuscunque, quod hoc facit Aphorismo. Quamobrem elucet, quænam sit
hujus

hujus Aphorismi cum antecedente connexio, quanam intentione Auctoris, & ratio intentionis.

Unicam continet regulam admodum universalem hic Aphorismus, licet primo aspectu multiplex videatur; nimirum tempore consistentiæ morbi, & paulo ante, subtrahendum esse cibum, qui cæteroquin uberius antecederet requirebatur, ut æger posset perdurare. Unico itaque ratiocinio ad Cuius Se- nis mentem sic potest dicta regula probari.

Tunc subtrahendus est ille victus, quo conjectura assequi datum fuit, posse durare ægrum in quocunque morbo, quando morbus ad crises properat. Sed ad crises properat morbus quando in sui consistentia est, & paulo ante. Ergo, quando morbus in ipso est consistendi tempore, & paulo ante, cibus est subtrahendus.

Quoniam vero morbus potest consistere vel statim ab ipsa invasione, vel post, aut citius, aut diutius; idcirco vel constiterit statim, vel non. Si constiterit statim: Ergo statim cibus subtrahendus erit, scilicet victus tenuis erit adhibendus. Si vero constiterit posterius; posterius etiam eodem victu tenui utendum erit; quod idem est, ac dicere, subtrahendum esse cibum ipso consistendi tempore, & paulo ante.

Quod si ipso consistendi tempore, & paulo ante, cibus subtrahendus est, consequens est ut prius uberius agatur, ut æger possit perdurare. Est autem hæc ipsa omnino ab Hippocrate proposita regula in hoc Aphorismo.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Prima Aphorismi hujus pars maximam præferat uniformitatem cum prima septimi Aphorismi particula. Revera prima facie idem fere in utraque contineri videtur; extremos enim labores morbum habere, idem propemodum est, ac morbum in vigore consistere; quemadmodum pro-

eodem fere considerari potest tenuissimo extreme victu utendum esse, ubi extremi adsunt labores, ac tenuem adhibere victum, ubi morbus in vigore consistit. Auget sententiarum similitudinem verbum *statim*, quod utrobique reperitur, quodque significat immediate post morbi invasionem. Quam tamen injuria Hippocratem vellicent Commentatores, ipsum de super-

fluitate, ob dictam sententiarum uniformitatem, increpantes, facile consideranti patebit, utrumque Aphorismum, septimum, & decimum, binas consequentias esse ab admodum inter se diversis antecedentibus deductas; siquidem in septimo Aphorismo, in quo Hippocrates ait *ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu utendum est*, consequentia continetur fluens a sexto Aphorismo ejus antecedente, in quo habet *extremis morbis extrema exquisita remedia optima sunt*; ex quo sexto Aphorismo ut jam dicta septimi consequentia eliciatur integra syllogistica ratione, nihil aliud requiritur, nisi composita propositio, quæ pro minore inserviat, scilicet: sed morbus peracutus est morbus extremus, & tenuissimus victus extremis remediis annumeratur. Jam nunc ad decimum accedentes Aphorismum, in ipso manifesta apparet consequentia quibus *igitur statim morbus in vigore consistit, iis etiam statim tenuis victus est adhibendus*, quam per se patet fluere immediate ab Aphorismo octavo, in quo generice a divino Sene statuitur, quando morbus in sui vigore consistit, tunc tenuissimo victu utendum esse. Inter hos autem Aphorismos si sequens propositio interjiciatur, videlicet: sed quandoque morbus statim ab invasione consistit in sui vigore (quæ propositio minor syllogismi est) concluditur: ergo quando morbus in sui vigore statim consistit, tenuissimo etiam victu statim utendum est. Atque hæc quidem consequentia eadem fere est, ac illa, quam in decimo hoc Aphorismo profert Hippocrates, a quo aliqua tantum terminorum diversitate recedit.

ADNOTATIO II.

IN nostra consequentia retinimus nos rigorose verbum *tenuissimum*, quod ab Hippocrate in sua mutatur

in *tenuem*; qua in re observare est, voluisse Hippocratem aliquid generalius etiam indicare, quam nos, ut patere potest consideranti verum discrimen intercedens inter primam hujus decimi Aphorismi particulam, & primam septimi. Cum enim prima septimi Aphorismi particula sit consequentia immediate eruta a sexto, locutus fuit Hippocrates tunc præcise de morbis exacte peracutis, qui sunt morbi extremi, eisque proportionalem assignavit rationem victus, idest inediam, omnimodam nempe a cibo abstinentiam. Peracutis autem morbis pro norma sumptis ad varium statuendum victus gradum in cæteris omnibus acutis morbis, cujuscunque acutiei fuerint, quod totum reliquum in eo Aphorismo reperitur extruxit, quemadmodum fufius ad dictum septimum Aphorismum adnotavimus. At vero perspicuum est, proportionem tunc adduxisse victus acutis morbis competentis, solam acutiem respiciendo, & præcindendo a quibuslibet aliis, quæ id agere possunt, ut debitus acutiei victus quomodolibet sit alterandus; loquendo de illis acutis morbis, qui aliquam cibi portionem sinunt ægro offerri. Nam de exacte peracutis, hoc est de extremis, nihil est, quod abstinentiam a cibo possit prohibere. Jam vero in decimo Aphorismo, qui octavi consequentia est, de quocunque morbo causam habente in fluidis vel intra, vel extra vasa, ita tamen ut ad vias circulationis possint restitui, loquitur Hippocrates, præcindendo ab acutie; neque enim desunt morbi, qui celeres sunt, nullatenus vero acuti, veluti febris illa est, quam Synochum imputrem vocant, quæ quando statum suum habet, in suo vigore, quicumque hic sit, consistit: Patet igitur in decimo Aphorismo latius admodum Hippocratem loqui, quam locutus fuerit in septimo, ideoque hoc quidem nomi-

mine plurimum inter se binos dictos Aphorismos differre.

ADNOTATIO III.

IN Aphorismo hoc decimo Hippocrates proportionalem reddidit victum omnibus morbis causam in fluidis habentibus, vel ii acuti sint, vel non, vel celeres, vel tardi, relate ad ægri vires, cæterasque omnes circumstantias, ut victus ratio a natura morbi exposita mutetur vel adjectione, vel detractone. Detractioni autem studet hic Hippocrates non modo ipso consistendi tempore, sed etiam paulo ante. Quoniam vero morbi, qui statim a sui invasione consistunt, celeres sunt sive acuti, sive non; hinc eisdem statim illa stabilienda est tenuis victus ratio, quæ ipsis competit, in quo agendo, perspicuum est nullum subtractioni cibi locum haberi. Sed jam suspiciendum valde sese offert Aphorismorum istorum ordo, & contextus: cum enim in decimo Aphorismo studuerit Hippocrates subtractioni cibi ante morbi consistentiam, subtractio autem cibi fieri nequeat nisi ab ejus majore quantitate antea exhibitâ; cum hæc regenda ita sit, ut proportionalis evadat viribus ægri conservandis per universum morbi vigorem, ut subsistere possit, cumque ad considerationem hanc duci non possimus nisi conjectura a pluribus pendente; idcirco est, ut non statim post octavum Aphorismum consequentiam in decimo positam, ab eoque fluentem eruat, sed nonum ipsis interjiciat, quo conjecturam capiendam esse docet in ratione cibandorum ægrorum a morbi invasione usque ad morbi ejusdem vigorem. Patet hinc, dividere Hippocratem universum morbi cursum in duas partes, quarum prima est a morbi invasione usque ad ejus vigorem, nisi hic ei statim succedat, altera respicit universum tempus, quo morbus in vigo-

re consistit, sive, quod idem est, quo in statu permanet. Hoc igitur ferme pacto doctrinam suam nobis exhibere videtur divinus Senex. Quoties in morbum aliquem curandum incidis vel acutum, vel acutorum instar procedentem, & conjectatus fueris quam ratione, & mensura cibandus est æger, divide universum morbum in duo tempora (scilicet in supra exposita) & primo ægrum pertracta cibi quantitate a te constituta, secundo, immo nonnihil ante, de jam concessa cibi quantitate illud subtrahe totum, quod est supra tenuitatem illam, quæ vigenti morbo a te curando debetur. Quantum sententia hæc ab ea differat, quæ in septimo continetur Aphorismo, nemo est, qui non videat. Et eni universus explicatus Aphorismus, potissimum vero quo ad illud, quod subdit *ubi vero posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibis subtrahendus*, ex quo consequitur, prius uberius agendum esse, ut æger viribus constare sufficiat. Hæc autem ultima Aphorismi particula ad primam nequit referri, quia ab immediata post morbi invasionem consistentia per se, & ex rei ipsius natura excluditur. Atque hoc quidem casu patet, cum nulla cibi quantitas a non oblato subtrahi possit, illam statim instituendam esse victus rationem, quæ naturæ morbi in vigore existentis respondet. Quod si quis hujusmodi in casu subtractionem cibi vocare vellet inædix institutionem, seu reductum cibum ab Homine sano adhibitum ad illam mensuram, quæ vigori morbi, in quem incidit, competit, equidem per nos licet.

ADNOTATIO IV.

Juxta nostram decimi hujus Aphorismi explicationem diversus esse potest ille tenuis victus gradus, qui infli-

instituentus est in morborum vigore, & quidem pro diversitate acutiei, & celeritatis morbi. Profecto si morbus celerrimus fuerit, vel acutus, vel non, inedia est instituenta; prout autem ab acutie, aut a celeritate, aut ab utroque discesserit, proportionalis reddendus ipsi est victus, juxta septimi Aphorismi regulam, idest in reciproca proportione naturæ morbi relate ad celeritatem, sive ad acutiem, sive ad utramque. Apparet hinc, quam acri judicio Hippocrates in decimo hoc Aphorismo simplici tenuitatis termino usus sit, nimirum ut genericè indicaret maximum illum tenuitatis gradum, qui a cujuslibet morbi naturæ exposcitur in ejus vigore, quique tenuissimus relative vocari potest. Et sic quidem tenuissimi termino, quo in octavo usus est Aphorismo, adamussim respondet.

COROLLARIUM.

EX hætenus adnotatis, tumque ex iis, quæ in primis ad Aphorismum nonum adnotationibus diximus, quatuor emergunt regulæ ad ægrorum dietam spectantes.

Prima est, in eligenda victus ratione cuilibet morbo proportionali non modo animadvertendum esse morbum, quo æger affligitur, ejusque naturam, & acutiem, verum etiam diligenter considerandas esse circumstantias omnes ad vires spectantes, easque comparandas cum victu, qui alias morbo respondere videtur; ideoque rationem victus a natura morbi elicitam alterandam esse vel citra, vel ultra, juxta pondus indicatorum circumstantiarum.

Secunda regula est, unam, eandemque cibandi rationem adhibendam esse in morbis, quorum vigor statim futurus est, usque ad eorumdem declinationem; & ita quidem, ut si morbus fuerit exacte peracutus, quoniam initio abstinentia instituenta est, ea

continuanda per totum morbi vigorem usque ad declinationem; quod si morbus peracutus fuerit, sed non exacte, ideoque duraturus usque ad septimam saltem, cum per totum illud tempus nequeat æger sine ulla cibi exhibitione viribus subsistere, tenuissima quidem victus ratio est instituenta, sed non extreme; non omnis idcirco cibatio est deneganda, sed ea permittenda, quæ ad inediam maxime accedat, atque hujusmodi perducenda est semper immutata per universam morbi consistentiam. Eodem modo procedendum est in quocunque gradu rationis victus instituendi in quolibet morbo, in quo vigor habeatur statim post initium; cujuscunque acutiei ille sit, sive cujuscunque celeritatis sine acutiei.

Tertia regula est, in morbis, quorum vigor per quoddam temporis spatium ab initio distat, cum æger, per totum tempus intercedens ab invasione morbi usque ad vigoris finem, plurima victus tenuitate viribus constare nequeat, tenuitatem hanc differendam esse ad ipsum morbi vigorem, aut paulo ante; cujus quidem maximæ tenuitatis gradus ille esse debet, qui naturæ morbi respondet, mente conversa semper ad cæteras quoque omnes circumstantias, de quibus alias diximus. Sic porro in peracutis extreme tenuissimus requiritur victus, scilicet inedia, in aliis acutis tenuissimus, sed non extreme; & semper servata illa reciproca proportione inter quantitatem cibi offerendi; & morbi acutiem, de qua in Aphorismo septimo diximus: quo casu patet, non integre prohibendum esse cibum, sed a quantitate cibi ante vigorem permitta illam subtrahendam esse portionem, quæ id agat, ut in vigore morbi ad sapius memoratam reciprocam proportionem redigatur.

Quarta tandem, & ultima regula est, quo major cibi subtractio facienda

da est, instante morbi vigore, eo uberius antea cibandum esse ægrum, & in hunc finem, ut quousque duraturus est morbi vigor, ipse etiam æger possit perdurare.

Atque illa quidem victus ratio artificiosa plurimum est, quæ in curandis morbis eligitur oculo ad has quatuor regulas converso. Hisce namque satisfit tribus indicationibus, vitalibus nempe, præservativis, & curativis. Primum obtinetur, respiciendo vires, pro quibus conservandis exhibenda cibi quantitas statuitur; secundum, impediendo, ne uberior cibus morbum foveat, & ad recrudescencias

perducat; tertium tandem, miscendo victus rationi abstinenciam, quæ maximum præsidium est in morborum acutorum, celerum, aliorumque horum instar procedentium curatione. Diximus autem abstinenciam miscendo victus rationi; nimirum, ut indicaremus, illis quoque in morbis, in quibus, dum vigent, instituire inediam non possumus, quoniam aliquam cibi portionem modo majorem, modo minorem subtrahere debemus, aliquam tamen imperare nos abstinenciam, quæ magis, minusve ad inediam accedit, pro varietatis casuum indigentia.

APHORISMUS XI.

In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum sunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

EXPOSITIO.

Hippocrates in superioribus Aphorismis regulas constituit diætandarum ægrorum in morbis peracutis, aliisque vel acutis, vel instar acutorum procedentibus, atque id tum relate ad acutiem ipsam morbi, & temporum morborum universalium, tum quoque relate ad conjecturam capiendam in gratiam virium conservandarum usque ad morbi vigorem, ut æger possit subsistere. Transit nunc ad regulam aliam, ipsam quoque admodum generalem, stabilendam in accessionibus, sive, ut alii (& forte melius) vertunt, in exacerbationibus, quo ad victus rationem in eisdem instituendam, quam ait esse debere abstinenciam a cibo, sive cibi subtractionem, ut nonnullis placet.

Quoniam vero exacerbationes in morbis aliæ irregulariter, & nulla lege servata contingunt, aliæ regulariter, & sta-

status temporibus, scilicet per circuitum: Exacerbationes vero illæ fiunt ob materiæ morbificæ recrudescentiam quo tempore ad sui solutionem morbus ferri videtur; hæ autem in reciprocationibus periodorum habentur ex ejusdem materiæ veluti recrudescentia; propterea, quamvis duplici constet parte Aphorismus, utramque unica probatione complectimur, quæ est hujusmodi.

Quo tempore morbus analogiam habet cum vigore morbi, eo tempore eadem victus ratione utendum est. Sed in morborum exacerbationibus ex materiæ recrudescentia, sive irregularibus, quæ contingunt in morbis continentibus, sive regularibus, quæ habentur in periodicis, analogia adest cum morbi vigore. Ergo in dictis exacerbationibus eadem victus ratione utendum est, quæ adhibenda in morbi vigore. Subsumo. Sed victus ratio, quæ convenit in morbi vigore aut inedia est, aut cibi subtractio. Ergo in indicatis exacerbationibus aut inedia, aut cibi subtractio est imperanda.

Addere autem Hippocratem *nam cibum dare nocuum est*, non quidem credendum a sapientissimo Sene factum, ut rationem redderet sententiæ aphoristicæ, quæ ratio flocci esset facienda; sed ut in dicti confirmationem adduceret communem observationem, qua constat, cibi exhibitionem in quibuscunque accessionibus noxiam esse,

Et sic mihi videor attigisse legitimum Aphorismi sensum.

A D N O T A T I O N E S.

ADNOTATIO I.

Nomine accessionis, quæ etiam paroxismus, & exacerbatio nuncupatur, nihil aliud ab Auctoribus intelligitur, quam deterius totius morbi tempus, ipso consentiente Galeno in Commentario Aphorismi decimi secundi, ubi vult, sub accessionis nomine & initium, & incrementum, & vigorem morbi comprehendi; ita ut

juxta hanc explicationem universus morbus in duo tantum tempora dividatur, in accessionem videlicet, & declinationem, sive, quod idem est, in accessum, atque recessum. Porro accessionis nomine non veniunt tempora morborum universalia, sed particularia, quæ in paroxysmorum recursibus observantur. Nonnulli tamen distinguunt inter accessionem, paroxysmum, & exacerbationem; paroxysmo de-

designant genus comprehendens æque exacerbationes, ac accessiones; accessiones autem volunt esse paroxismos morbi intermittentis: his enim videtur morbus de novo ad ægrum accedere; exacerbationes vero dicunt esse paroxismos morborum, qui per intervalla magis affligunt, nullatenus vero ad apirexiam perducuntur, qui morbi periodici & ipsi sunt, sed non intermittentes, ac propterea paroxismi videntur, potius quam per novum accessum, per exacerbationem renovari.

ADNOTATIO II.

Nomine circuitus, vel periodi, intelligitur reditus paroxismi per æqualia circiter tempora, intelligendo tamen *per æqualia* non de vera, & stricta æqualitate, ita ut idem omnino tempus inter adventum unius paroxismi, & alterius intercedat, sed aut brevius semper fiat æqualiter, aut æqualiter diuturnius; unde est, ut morbi, hujusmodi habentes paroxismo- rum recursum, periodici dicantur, veluti est tertiana febris, quartana &c., quæ febres circuitus habent in eadem specie sibi similes. At vero febris illa, quæ paroxismorum recursum per incerta, & inæqualia intervalla obtinet, ea non periodica, sed erraticæ nuncupatur. Animadvertendum autem est, rationem periodi in febribus, aliisque morbis haberi ab æqualitate intervallorum intercedentium inter paroxismos, & paroxismos, vel integer habeatur paroxismorum cursus, vel incompletus, vel qualibet inter finem unius paroxismi, & alterius initium mediet intermissio, vel nulla; quamobrem morbi periodici non minus possunt esse continui, quam intermittentes, atque idcirco accessiones, exacerbationes, & generice paroxismi eo sensu sumpti, quo a nonnullis inter se distingui in prima adnotatione diximus, æque adveniunt morbis perio-

dicis, ac erraticis. Aperte id colligitur ex Aphorismi contextu; inquit enim Hippocrates *in accessionibus abstinere oportet* &c., & *quibus per circuitus fiunt accessiones* &c., ex quibus evidens est, cum Hippocrates bis accessionum nomine utatur, primum absolute, & sine ullo adjuncto, secundo cum adjectivo *per circuitus*, statuere ipsum, accessiones haberi posse & in morbis periodicis, & in erraticis.

Præterea dupliciter intelligi potest accessio sine ulla circuitus, seu periodi adjectione sumpta; scilicet vel quatenus a periodo præscindit, vel quatenus periodum negat. Prima ratione consideratur in genere pro paroxismo, vel accessione, & ita quidem, ut accessio genus quoddam sit differentias comprehendens vel cum, vel sine periodo, vel cum apirexia, vel sine eadem; altera autem ratione in specie consideratur, id est pro ea accessionis specie, quæ cum periodo non conjungitur. Quamobrem sic intelligi Aphorismus potest, ut in prima parte; ubi accessionum nomen sine ullo adjuncto habetur, accessiones omnes generice loquendo comprehendat; in secunda vero parte, ubi de accessionibus cum adjuncto *per circuitus* sermo habetur, nomen accessionum in specie sumendum sit, hoc est pro ea accessionum specie, quæ cum periodo habetur, vel ea ad apirexiam perveniat, vel non.

ADNOTATIO III.

Difficile enim vero est admodum ad superfluitate Hippocratem liberare, quocunque ex dictis modo accessionis nomen sumatur. Nam vel accessiones contingant periodicæ, vel erraticæ, vel generice accipiantur, vel specificæ, quoniam solo nomine accessionum significari omnes possunt, satis propterea erat, si dixisset *in accessionibus abstinere oportet*. Licet autem

Commentatores quamplurimi ab hac superfluitate liberare tentent Hippocratem, re ipsa tamen non faciunt, & qui aliquid præstare in re hac videntur, vim incruent verbis, & verba in alia commutant nullo fundamento, ut videre est in ipsorum Commentariis.

Ut autem, qua per nos licet ratione, præstemus id, quod aliis concessum non fuit, fumentes accessiones pro exacerbationibus; idest pro iis morborum temporibus, quibus morbus in sui vigore consistit, quo sensu eas sumit Hippocrates ipse, notante Foesio in sua OEconomia, & Brunone in suo Lexico, simulque animadvertentes, vigorem in morbis modo haberi posse a materia in maximo motu adacta, & crises tentante vel universales, vel particulares, ad solutionem videlicet tendentes vel totius morbi, vel peculiarium periodicorum paroxysmorum, modo vero ex materia eadem novam cruditatem adeptam, & rursus tendente ad crism, quo nomine veniunt exacerbationes sive irregulares in continuis & continentibus morbis contingentes, quæ plerumque in morborum declinatione ob morbificam materiam recrudescentiam accidunt, sive regulares, quæ periodicis morbis tum intermittentibus, tum continuis adveniunt: neque enim accessiones eorundem aliud sunt, quam morbifici motus quadam veluti renovationes ex materia morbificæ recrudescentia; in hoc sensu si prima Aphorismi pars intelligatur de exacerbationibus continentibus quandoque in morbis continuis continentibus, quæ peculiare aliquid sunt, distinctumque a consueto eorundem morborum vigore; in secunda vero parte accessiones intelligantur, sive, ut nobis placet, exacerbationes morborum periodicorum; profecto quidpiam nobis in hoc Aphorismo proponitur, quod in aliis antecedentibus ab Hippocrate propositum non fuit. Hactenus enim locutus semper est Hippo-

crates de morbis continentibus, deque eorundem regulari motu, quibus peculiarem suum victus gradum stabilivit aut ex ipsa morbi natura, aut ex necessario attendendis circumstantiis per conjecturam in nono Aphorismo propositam morbo proportionalem reddendum. Hæ autem morborum continentium, & continentium ex reviviscencia exacerbationes cum peculiare quiddam sint adveniens morbis iis ex accidentalibus causis, veluti ex erratis ab ipso ægro perpetratis, aut ab Adherentibus in ægri detrimentum, ex aeris inclementia, atque ex hujusmodi aliis, propterea voluit Hippocrates, in hisce quoque abstinentiam esse servandam. Quod si Naldo credamus pro *abstinere oportet* vertente *subtrahere oportet*, quoniam in his recrudescentiis eadem ratio habenda est, ac de consueto morbi vigore; enim vero vel omnis cibus subtrahendus est, si peracuto morbo possit exacerbatio æquiparari, vel tantum ex parte, magis minusve, prout morbo magis vel minus acuto poterit assimilari, servata semper reciproca proportionem in septimo Aphorismo ab Hippocrate, tanquam lege quadam universali, promulgata. Porro exacerbationibus dictis respondent adamantissim morborum periodicorum recurrentes paroxysmi; ideo enim contingunt, quia materies morbum faciens statis temporibus ad recrudescentiam revertitur, qua posita, ad novam fertur dissolutionem, unde paroxysmi reviviscunt. De his autem periodicorum morborum paroxysmis nondum locutus est Hippocrates. Itaque videtur aliquo saltem modo a superfluitate liberatus.

Quod vero spectat ad eundem divinum Senem defendendum quo ad repetitionem ejusdem hujus sententiæ in decimo nono hujus Sectionis Aphorismo, quod opus est afferemus, quando ad eundem nonnulla adnotare contingeret.

ADNOTATIO IV.

Hippocrates nullam aliam rationem adducit veritatis Aphorismi, nisi hanc *nam cibum dare nocuum est*. In hanc autem rem animadvertimus, licet Aphorismus hic a Barocio laudetur, utpote unus ex iis, quibus ratio subnectitur, nullam tamen rationem hanc esse ad veram aphoristicam sententiam probationem; quid enim est, cur eadem ratione probare non possimus, quodcumque remedium cuilibet morbo convenire, dicendo: nam ipsum non administrare, seu aliter facere nocuum est? Ita porro quando in octavo Aphorismo dixit Hippocrates *Quando morbus in sui vigore constitit, tunc victu tenuissimo utendum est*, subungere poterat: cibum enim dare nocuum est; seu, quod eodem recidit: aliter facere est nocuum. Similiter imperantes in plenitudine phlebotomiam, possumus subnectere: nam non detrahere sanguinem nocuum est; seu vinum prohibentes in febris, subdere proclive est: nam vini potus nocuus est. Veruntamen ratio hæc nihil docet, neque enim apertum ideo fit, quodnam detrimentum sequatur a non misso sanguine in plenitudine, nec quodnam nocuum fabricitantibus afferat vini usus. Vellicandum tamen non censemus Hippocratem; cum enim is Aphorismos conscripserit, ut in pri-

mi Aphorismi adnotationibus diximus, eo consilio, ut brevibus, & inter se separatis sententiis ea omnia congereret, quæ vel ex sui ipsius observatione veritati consentanea deprehenderat, ac confirmaverat, & sparsim in cæteris suis libris exaraverat, vel ex aliorum, Antiquiorum vero præsertim libris eruerat, nequaquam vero ad docendum, propterea nulla ipsi necessitas erat eorum, quæ Aphorismis comprehensa nobis relinquebat, probandum. Intererat autem ipsi eidem interdum rationes adducere dictum suum persuadentes, idque est, quod, cum in nonnullis aliis Aphorismis, ita etiam in hoc adducta ratione facit. Communis est observatio, in vigore morbi, & in qualibet accessione, & exacerbatione, sive erraticæ & irregulari, sive regulari & periodica, sive etiam fortuita, propter morbificæ materię recrudescentiam in continuis continentibus morbis contingentem, cibi oblationem damna inferre, atque idcirco nocuam esse. En quo tendit Hippocratis ratio, ut scilicet ex communi observatione persuadeat, cibi oblationem in qualibet accessione, utpote nocuam, esse prohibendam. Profecto quidquid in morborum curationibus aut imperatur, aut interdicitur, ad bonum dirigitur, & quod ex adverso fit, malum evadit, & nocuum. Hæc autem ratio per se patet apta ad persuadendum, ad probandum vero inepta.



APHORISMUS XII.

Accessiones vero, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiva incrementa, si-ve quotidie, si-ve alternis diebus, si-ve per majora intervalla fiant. Sed & ex iis, quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat; si vero postea appareat, producit. Et urina, & alvi excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam: vel breves, aut longos fore morbos ostendunt.

E X P O S I T I O.

Postquam Hippocrates ad rectum regularum usum de diatandis ægris in morbis acutis quibuslibet, aliisque acutorum ordinem servantibus, proposuit in nono Aphorismo conjecturam capiendam de morbi natura, & duratione, relate ad vires, ut ægri constare possint usque ad morbi vigorem; easque regulas in precedenti Aphorismo extendit ad morborum quoque exacerbationes: Cum conjectura prædicta e duplici fonte deduci possit, scilicet vel ex iis, quæ morbi brevitatem, seu diurnitatem indicant, vel ex iis, quæ acutiem, ipsius morbi ostendunt: In hoc Aphorismo perpendit ea, quæ ad acutiem morbi ostendendam spectare possunt, reliquum facturum in subsequentibus Aphorismis. Atque hinc patet, quamnam connexionem habeat hic Aphorismus, non tam cum undecimo, quam cum nono, aut decimo, quænam Auctoris intentio sit, & ratio intentionis.

Ait autem divinus Senex, accessiones, & constitutiones indicari a morbis, ab anni tempestatibus, a circuituum successivis incrementis, tum ab iis, quæ mox apparent, ut in laterali morbo a sputo; tumque ex urinis, ex alvi excrementis, ex sudoribus, & ex quibuscunque apparentibus. Unica conclusio est, pluribus tamen constans partibus, quas omnes simul unica probatione compendiose complectimur.

Morborum diversæ sunt species petiæ a diversis causis, a diversis symptomatibus, a diversa & causarum natura, & symptomatum vehementia, ac multitudine. Sed pro hisce diversitatibus morborum variæ erunt accessiones, & constitutiones. Ergo morbi indicabunt accessiones, & constitutiones.

Simile quiddam dicendum venit de anni temporibus, de circuituum successivis incrementis, de mox apparentibus, de que urinis, alvi excrementis, sudoribus, atque hujusmodi cæteris omnibus, ut facile probari posset. (Nos in nostris annotationibus probamus). Ergo &c.

Et hic mihi videtur legitimus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Aphorismus hic, ut in nostra Expositione indicavimus, cum nono potius, aut decimo, quam cum undecimo connectitur. Siquidem cum in nono conjecturam capiendam proposuerit Hippocrates ad stabiliendam præcisam quantitatem cibi ægris offerendam a principio morbi usque ad ejusdem vigorem, & quidem relate ad vires ægri conservandas pro indigentia per totum morbi tempus: In decimo autem regulas, quas in septimo, & octavo Aphorismo prædictandis ægris, ex acutie morbi deduxit, extendat etiam ad non acutos morbos, quo tempore hi acutorum instar in suo vigore consistunt, ubi ait tenuem victum adhibendum esse, scilicet vel exacte tenuissimum, vel tenuissimum simpliciter, vel alius tenuitatis gradus, prout morbus vel acutus fuerit, vel non acutus, vel unius, vel alius acutiei, & quidem statim, si statim morbus consistat, si vero non statim consistat, quoniam ægri ante morbi consistentiam uberius alendi sunt, in eorundem morborum statu, & paulo an-

te subtrahendum esse cibum, & ad eam tenuitatis normam redigendum; quæ cuilibet morbo in sui vigore competit: Cum tandem dictas regulas, prout interpretati nos sumus, extendat etiam ad exacerbationes, vel eæ in continentibus morbis accidant ob materiæ morbificæ recrudescentiam, vel fiant ob ejusdem morbificæ materiæ regularem quandam, & statim temporibus recrudescentiam in periodicis morbis: Patet rem hic fisti, suumque habere complementum. Non ideo tamen vitio vertendum Hippocrati est, quod in duodecimo hoc Aphorismo tractationem reassumat, quam inceperat, de supra indicata conjectura capienda. Præterquamquod enim eæ Aphorismorum natura est, ut, præter alias, hanc etiam habeant conditionem, ut separatæ sententiæ sint, nullamque ordinis saltem, exposcant inter se connexionem; præstabat (nequæ Aphorismo undecimo complexus est, quæque optime cum superioribus connectuntur, & rei ejus tractationis complementum veluti faciunt, in alium conjiceret locum, absque ulla relatione ad ea, quæ ipsis proxima essent) præ-

stabat, inquam, ut quæ ad dictam conjecturam spectant nonnihil interromperet, illa statim reassumpturus; præsertim vero cum in hoc decimo secundo Aphorismo, atque in subsequentibus tribus, proferat ea, quæ, cum enunciata fundamenta conjecturæ sint, nihil de eadem sunt conjectura.

ADNOTATIO II.

UNIVERSUM diatandi hippocraticum artificium binis innititur conjecturis, quod idem est, ac dicere, conjecturam ab Hippocrate in nono Aphorismo propositam duplicem esse. Altera tendit ad determinandam distantiam, quam habiturus est morbi vigor ab eisdem principio; altera respicit comparationem faciendam inter victus rationem, quæ in principio morbi instituitur, & vires ægri duraturas usque ad morbi vigorem inclusive; nimirum relate ad distantiam, quæ futura supponitur, ex prima conjectura, vigoris morbi ab eisdem principio. Prima conjectura, a qua scilicet pendet præcognitio distantia, fundamenta sua habet in decimo secundo Aphorismo, quem nunc præ manibus habemus: Altera in tribus subsequentibus. Ex dictis deducitur, Hippocratis intentionem esse, proponere in hoc Aphorismo fundamenta, quibus conjectari possimus quanam futura sit longitudo, aut brevitudo morbi, seu, quod idem est, quanam futura sit distantia ab initio ad vigorem morbi. Sed quoniam fundamenta hæc plura sunt, quæ ab Hippocrate, saltem præcipua, uno comprehenduntur Aphorismo, mirari propterea non subit, si longiusculus, quoad verba, videatur Aphorismus, quandoquidem brevissimus est, si contentarum rerum multitudini comparatur.

ADNOTATIO III.

Accessiones, & constitutiones, quarum indicia sunt cætera in Aphorismo contenta, sic ab Hippocrate proponuntur, ut accessiones ab eo paroxysmi intelligi velint, constitutiones vero catastales. Paroxysmum vocari diximus in adnotationibus ad superiorem Aphorismum non modo tempus deterius circuitus, seu maxima exacerbationis in morbis periodicis, sed etiam summam illam exacerbationem, quæ fit in continetibus morbis; & hoc quidem sensu sumendum esse paroxysmum, seu accessionem in hoc Aphorismo evincitur. Si enim accessionis nomine, sive paroxysmi, intelligendum esset initium, augmentum & status circuituum in periodicis morbis quomodo accessionum indicia esse possent morbi, anni tempora, circuituum, successiva incrementa, et, quod magis est, mox apparentia? Sane morbi nunquam ostendent, aut indicabunt deteriore singulorum circuituum partem, sed contra circuitus potius morbum indicabunt. Constituitur tertiana a paroxysmis alternis diebus advenientibus; quare non morbus, idest tertiana, indicium est paroxysmorum alternis diebus recurrentium, sed alternus paroxysmorum recursus vigentis tertianæ indicium nobis est; ergo non morbus paroxysmos, sed hi illum indicant. At vero si pro paroxysmo, idest pro accessione, intelligatur totius morbi deterius tempus, ut supra innuimus, quoniam paroxysmi periodici non ipsi per se, & singillatim, sed prout invicem connectuntur, sibi que respondent, ideoque morbum constituunt, indicare possunt morbi quidem universalis, & totius, non vero peculiarium paroxysmorum statum.

Quod spectat ad anni tempora, evidens est indicare ea non posse paroxysmorum recursum in ordine ad ægros

ægros cibandos. Profecto æstate frequentes sunt tertianæ, & circuituum insultus aut eadem hora, aut regulari alio ordine invadunt; & ex hac observatione, quando cibandi sint ægri deducitur; non item vero si de universa tertiana loquamur, nam cum æstate tertiana habeatur, quæ secundum Hippocratem ventres minus calidi sunt (diceremus nos causæ chylificantes, & sanguificantes minus validæ sunt, juxta ea, quæ ad Aphorismum decimum quartum adnotabimus) æstas indicare quidem potest accessiones universalis morbi, scilicet totius morbi vigorem, unde conjectari possumus, non quæ hora cibandi sint ægri, sed quæ mensura convenientibus horis sit æger cibandus.

Multo minus indicare id ipsum possunt circuituum successiva incrementa, si paroxysmus intelligatur de peculiaribus periodis. Si enim periodorum successiva incrementa possent indicare earundem periodorum deterius tempus, oporteret ut circuitus ipsi noti essent, priusquam eorundem circuituum deterius tempus indicarent; indicans namque indicatum præcedere debet, saltem cognitione. Ergo circuitus, qui noti sunt, eorundem circuituum deteriora tempora indicarent, quæ quidem tempora cognita antea fuerant unum cum ipsis circuitibus: Hæc autem indicatio eorum, quæ antea nota fuerunt, insulsa prorsus foret, & ridicula.

Quo ad id, quod Hippocrates proponit, scilicet sputum apparens in morbo laterali, nullum profecto indicium esse potest peculiarium exacerbationum, quæ regulariter in laterali morbo non adveniunt, siquæ aliquando ex accidenti contingant, id est ex materiæ recrudescencia, siue ex inflammationis reviviscencia præter expectationem, aut ex hujus morbi conjunctione cum periodica quadam febre, ad quam, non vero ad lateralem mor-

bum, peculiariter exacerbationes pertinent. Constat igitur (id quod de similibus aliis apparentibus in morbis dicendum venit) sputum vel apparens, vel non, in morbo laterali referri ab Hippocrate ad generalem morbi vigorem; siquidem si statim sputum appareat, morbum brevem reddere ait, contra producere. Idem affirmandum est de sudoribus, de urinis, de alvinis excretionibus, & de quibuscumque similibus apparentibus, quæ si critica sint, verasque crisis notas commonstrent, bonam morborum judicationem indicabunt, sin minus malam. Itaque porro quoties hæc critica sint, ideoque & libere fluant, & integram ponant judicationem, prætereaque cito appareant, morbum brevem futurum, contra diuturnum ostendunt. Quod si cruda dignoscantur, cum reliquis morbum concomitantibus comparata, aut difficultatem curationis, aut morbi sævitiam possunt portendere. Cum igitur nullum ex dictis, ex iis scilicet quæ in Aphorismo recensentur, relationem habere possit ad paroxysmos, siue exacerbationes particulares, manifestum est Hippocratem loqui de exacerbationibus universalibus, scilicet de morbi vigore, ac propterea Aphorismum hunc nullam habere cum undecimo connexionem, sed cum decimo, aut nono.

Jam vero in vigore morbi duo possunt indicari, scilicet symptomatum acerbitas, ac multitudo, atque instantia vigoris morbi ab ejusdem initio; horum autem utrumque ad diætandi rationem pertinet; primum ut eam tenuitatem victus seligamus, quæ cum periculo proportionem habet, alterum ut victus accommodetur ad tarditatem, siue ad celeritatem vigoris futuri morbi, relate ad vires, circumstantiis omnibus animadvertis; per totum morbum conservandas. Horum autem utrumque, cum necessarium sit, sua debet habere indicia, ut cognoscatur.

Transeuntes nunc ad constitutiones, quas diximus ab Hippocrate catastasis nomine appellari, cum catastasis latine vertatur rei alicujus constitutio, sive status, ad varia relata diversa significat; loquendo autem de morbis, pro catastasi intelligitur totius morbi circumscriptio, & forma, ut post Galenum libro *de Crisibus* notat Foesius in sua OEconomia. At vero morbi circumscriptio, & forma, nihil aliud est, nisi syntaxis, sive compositio temporum morbi tum universalium, tum particularium, & omnium proportio ad invicem in qualitate, quantitate, & ordine. Constat igitur ad morbi constitutionem spectare esse peracutum, acutum, aut chronicum, continentem, aut periodicum, celerem, aut tardum, lethalem, aut salutarem &c., ita ut tunc nota dicatur morbi constitutio, quando de temporum quorumcunque longitudine, gravitate, compositione ex periodis sive citius, sive tardius recurrentibus, & de quolibet ex universalibus temporibus morbum integrantibus constabit. Patet hinc in cognitione constitutionis includi notitiam vigoris morbi, tum quo ad symptomatum vehementiam, & multitudinem, tum quo ad ejus distantiam a morbi initio. Quod si res sic se habeat, videtur Hippocrates superfluis fuisse; solo enim constitutionum, sive catastasis nomine Aphorismum poterat expedire. Veruntamen, ut in eo suae intentioni satisfaceret, minime oportebat, ut constitutionem morbi in tota sua latitudine comprehenderet, sed tantum eam partem, quæ ad circumstantias universali paroxismo competentes refertur; ideoque accessiones, scilicet paroxismos constitutionibus, nempe catastasis præmisit. Licet autem potuisset Hippocrates constitutiones reticere, summa tamen utilitate accessionibus subnexuit, nimirum plura unius vocabuli additione comprehendit, quod maxime de Apho-

rismi ratione est; cum enim quidquid indicare potest accessiones, constitutionibus etiam ad idem competat, dum in Aphorismo proponit ea, quæ accessiones indicant, & quidem juxta id, quod sibi in Aphorismo proposuit, eundem Aphorismum ad constitutiones extendit, sique occasionem arripit stabilendi plura, quam suum propositum exposulabat. Mihi autem sic loqui videtur divinus Senex. Si vis cognoscere in quolibet morbo, num ejus vigor lenis, num gravis futurus sit, num celer, num tardus, considera morbi essentiam, tempus anni, quo morbus invasit, & cætera in Aphorismo exarata; quin immo ex eorundem consideratione universæ morbi constitutionis notitiam adipisceris; utrumque enim hæc eadem commonstrant.

ADNOTATIO IV.

RESTE ab Hippocrate adducuntur ad ostendendas accessiones, & ea occasione, constitutiones morborum, morbi ipsi, idest eorundem essentia, anni tempora, circuituum successiva incrementa, mox apparentia, urinæ quoque, sudores, alvi excrementa, & quæcunque alia apparuerint.

Et primum quidem statim ac morbi natura, seu essentia per solas observationes cognita sit, continuo etiam notum est, num morbus diuturnus futurus sit, aut brevis, num periculosus, aut benignus, num acutus, aut non, & cujus acutiei, num facilis, aut difficilis solutionis; & hac quidem unica cognitione constat, Arthritim, Podagram, Vesicæ calculum, Quartanam &c. inter chronicos morbos recenseari; Syncopem vero, Cardialgiam, Anginam &c. inter extreme peracutos; Ephemeram, Synochum imputrim, Faucium phlogosim, aliosque id census morbos terminos habere extreme peracutorum, non periculum; Pulmoniam, Erisipelas, Phrenitim-

morbos esse peracutos simpliciter, aliquando exacte acutos; Tertianam legitimum eisdem exacte acutorum terminos habere, acutam tamen non esse; ne cæteras omnes morborum species commemorare, quorum natura perspecta ostendit & longitudinem, seu breviter morbi, & symptomatum majorem, minoremve gravitatem, quæ illa duo sunt nobis ab essentia morbi suppeditata, ut conjectemur quam diuturni ratione ægrum debeat pertractare.

Sed quoniam alterari hæc possunt ab anni tempestatibus, ob quas fieri potest, ut morbi aut longiores, aut breviores evadant, aut magis, aut minus periculosi &c., idcirco Hippocrates statim post morborum, videlicet post eorum essentia considerationem perpendenda subjungit anni tempora. Constat quippe æstate omnes fere morbos breviores esse, & acutiores; autumno longiores, & periculosiores; hyeme longiores quidem, sed minus periculosos; vere demum & minus longos, & minus esse periculosos. Sed quod in anni temporibus maximum indicium promit, est anni constitutio, qua fit, ut morbi omnes, generice loquendo, magis, vel minus breves sint, magis, vel minus periculosi, & affectiones ejusdem speciei in omnibus fere ægris manifestentur, ita ut, cum Medicus aliquos ex morbis observaverit, qui in aliquo anni constitutione grassantur, non levem occasionem habeat comparandi ea, quæ in aliquibus ægrotantibus observavit, cum illis, quæ ipsi in aliis observanda occurrunt, sicque præcognoscendi & cujus naturæ futurus sit morbi vigor, & cujus durationis, ac propterea quanta intercessura distantia sit inter morbi invasionem, & ejusdem statum. En igitur quantum conferre possunt anni tempora ad morborum accessiones, & constitutiones stabiendas, ideoque ad ipsas proportionalem faciendam opportu-

nam diuturni rationem. Atque hæc quidem universim spectant tum ad morbos continuos continentes, tum ad periodicos cujuscunque speciei.

Verum in periodicis morbis hæc non suffiunt. Hinc Hippocrates, qui Aphorismum texere voluit in tota sua generalitate, quo ad morbos periodicos, comparationem proposuit circuituum inter se. Desumitur autem comparatio hæc a periodorum acerbitate, ab intervallo inter unius, & alterius periodi invasionem intercedente, & ab eorundem intermissione. Et primum quod spectat ad gravitatem, si secunda accessio prima sit gravior, tertia secunda, & sic successive, morbum augeri indicat, eoque semper magis, quo major posteriorum accessionum acerbitas fuerit, contra minui. Si intervalla æqualia fuerint, cæteris paribus, aut morbi consentiant, aut morbificæ materiæ tenacitatem, aut causæ pertinaciam ostendent; si majora evaserint, ita ut primo intervallo secundum diuturnius sit, secundo tertium, & sic de singulis, morbi declinationem, & citam adventuram sanitatem promittunt; contrarium portenditur, si alterum intervallum primo brevius fuerit, secundo tertium, &c. Tandem si intermissio inter finem unius accessionis, & alterius initium longior semper fuerit procedente morbo, levior non modo morbum, sed præterea ad evanescentiam tendentem ostendunt; crescere autem morbum, & ad continuitatem properare indicabitur, si breviores semper fiant intermissiones; cui si semper major symptomatum gravitas accedat, morbum ad acutiem præterea vergere majorem, minoremve, pro re nata, conjectabimur.

Suas & ipsa significationes habent tum in continuis continentibus morbis, tum in periodicis quibuscunque quæ mox apparent. Jure igitur hæc quoque Hippocrates adducit, exemplum afferendo omnium certissimum de spu-

to in laterali morbo apparente, quod quotidiana observatione docemur, si statim appareat, significare morbi vigorem cito adfuturum, facilemque fore judicationem, si tarde, producendum esse morbum, & difficilis solutionis esse evasurum.

Eandem sequuntur rationem urinæ, sudores, alvi excrementa, & quælibet aliæ excretiones, quod idem est ac dicere, quæcunque alia id census apparuerint; frigidi quippe, & in principio apparentes sudores, aut brevem, & lethalem, aut longum indicant morbum; id ipsum prænunciant urinæ crudæ, & aqueæ; alvi fluxus in principio semper mali; & hujusmodi innumeræ propemodum sunt. significationes non modo ab Aphorismis, sed ab universis Hippocratis operibus depromendæ.

ADNOTATIO V.

Non satis est, aliquorum tantum ex prædictis considerationem habere, sed omnium requiritur, omnium, inquam, non ab Hippocrate in hoc Aphorismo propositorum, sed

eorum quæ in morbo, quem curandum præ manibus habemus, observanda occurrent; cuique, cognita exacte ipsius accessione, & constitutione, accommodandus nobis est gradus cibi exhibendi tum a morbi initio usque ad vigorem, tum ipso vigoris tempore. Si quidem in morbis continuis, continentibus dictis, nulla est circuituum consideratio; qui enim comparandi sunt circuitus inter se, ubi sunt nulli? Sic in nonnullis morbis certa quædam apparentia prodeunt, alia in aliis, nulla quoque in aliquibus. Cuncta igitur, quæ consideranda sese offerunt, diligentissime sunt pensanda, invicem comparanda cum observatis in aliis consimilibus ægris, si opus fuerit, circa illos dies conferenda, in suas demum causas resolvenda. Ita porro promi judicium poterit de morbi vigore, num scilicet cito, aut tarde adventurus sit, num gravis futurus sit, num levis, & juxta ea, quæ judicabimus, eligenda nobis erit exposita victus ratio juxta hippocraticas regulas in antecedentibus Aphorismis exaratas, & a nobis in suis adnotationibus explicatas.

APHORISMUS XIII.

Senes facillime jejunium ferunt: secundo loco qui etatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt juniores.

EXPOSITIO.

Cum conjectura, quam in nono Aphorismo capiendam esse statuit Hippocrates pro virium ægrorum conservatione usque ad morbi vigorem, ex duplici fonte petenda sit, scilicet vel ex iis, quæ morbi acutiem ostendunt, vel ex iis, quæ morbi indicant breviter, sive diutur-

turnitatem : Cumque ea , quæ ad morbi acutiem ostendendam spectant , in superiore Aphorismo perpenderit ; in hoc & sequentibus earum circumstantiarum considerationem sibi sumit , quæ brevitatem , seu longitudinem morbi possunt portendere . Quoniam autem hæ potissimum sunt ætas , anni tempus , & consuetudo ; in hoc Aphorismo ætates considerare aggreditur , quatenus eæ efficere possunt , ut nonnihil alteranda sit illa quantitas cibi , quæ cæteroquin , quo ad morbi acutiem , esset constituenda . Elucet hinc quænam sit hujus Aphorismi cum antecedente , & aliis superioribus connexio , & ad eisdem relatio , quænam Senis Cõi intentio , & ratio intentionis .

Unica est Aphorismi sententia , per partes tamen quatuor , præcipua ætatum divisionis membra respiciens ; ac propterea unico argumento probanda ; quod sic aggredior .

In illis ætatibus regulariter (nam veritas hujus Aphorismi plures admittit exceptiones) regulariter , inquam , jejunium facilius fertur , quam in aliis , in quibus minus vegetæ sunt causæ famis , & facilius tolerantur inediæ effectus . Sed regulariter in ætate senili minus vegetæ sunt causæ famis , & facilius tolerantur inediæ effectus . Ergo regulariter in senili ætate facilius jejunium fertur , quam in reliquis ætatibus .

Hoc idem argumentum repeti potest de ætate consistenti relate ad alias , excepto senio , & sic successive , ut tandem concludendum sit de pueritia vegetiores esse causas famis , & difficilius tolerari inediæ effectus , quam in cæteris omnibus aliis ætatibus , ac propterea pueros minime omnium ferre jejunium . Quamobrem si probaverimus , in senili ætate causas famis languidiores regulariter esse , & effectus inediæ tolerari facilius , quam in cæteris omnibus ætatibus ; idem proportionaliter probatum erit de aliis quoque ætatibus . Illud autem sic a nobis probatur .

Causæ famis sunt languidiores in illis , in quibus fermenta ventriculi magis effœta sunt , & ipsius ventriculi sen-

fus hebetior. Sed in Senibus fermenta ventriculi magis effecta sunt, & ventriculi ipsius sensus hebetior: nam indurata in Senibus fibra minus potest comminuere sanguinem, unde spirituum necessaria supellex eliciatur, ipsaque fibra oscillationibus requisitis minus parere potest. Ergo in Senibus causæ famis languidiores sunt. Præterea. Inediæ effectus facilius tolerantur ab iis, in quibus corporis perspiratio difficilius absolvitur. Sed id contingit in Senibus propter cutis majorem, quam in cæteris omnibus ætatibus compactiorem. Ergo a Senibus facilius tolerantur inediæ effectus. Ergo Senes languidiores habent famis causas, & facilius tolerant inediæ effectus, quam qui in quacunque alia ætate constituti sunt; & sic successive de cæteris ætatibus usque ad pueritiam. Quod erat probandum.

A D N O T A T I O N E S.

ADNOTATIO I.

QUO ad hujus Aphorismi cum superiore connexionem, ex iis, quæ ad decimum secundum adnotavimus plane constat, cum duplex conjectura requiratur ad determinandum cibum necessarium, ut æger possit perdurare usque ad morbi vigorem; alia nempe, per quam statuitur distantia invasionis morbi ab ejusdem vigore, quæ a natura morbi ipsius deducitur, tumque ab iis omnibus, quæ in ipso morbo observanda occurrunt, cujuscunque sint census; alia vero, quæ determinatur, in quibus virium circumstantiis sit æger relate ad ejusdem ægri conditiones, quæ non modice quandoque variant cibi normam a morbo ex postulatam; quoniam Hippocrates primæ conjecturæ fundamenta unico Aphorismo decimo secundo complexus est, in hoc adducere incipit conditiones illas, quæ dictas circumstantias in ægro variare possunt. Deducitur hinc, Hip-

pocratem ab uno tractationis suæ membro ad aliud transitum facere. Cæterum, quemadmodum diximus, decimum secundum Aphorismum immediate referri aut ad nonum, aut ad decimum; idem dicendum de hoc decimo tertio, & de duobus subsequenter. Profecto conditiones, de quibus diximus, plures sunt; præcipuæ tamen ab Auctore nostro memoratæ, aliæ ad ætates, aliæ ad anni tempora, aliæ ad consuetudinem pertinent. In hoc autem Aphorismo ætates considerandas proponit divinus Senex.

ADNOTATIO II.

NOmINE ætatis genericè intelligitur universa Hominis vita; specificè vero veniunt certæ quædam partes, in quas vita eadem Hominis dispescitur, & in varias constituitur differentias. Ætates has peculiare determinant nonnulli ab annorum numero, alii a mutationibus corpori con-

tingentibus, alii a præstantia primarum qualitatum, alii aliunde; unde est, ut non omnibus eadem ætatum divisio arrideat, nec idem annorum, quibus unaquæque ipsarum comprehenditur, numerus. Diverfos hosce modos distinguendi ætates inter se non est cur recenseamus; nam omnes fere futiles, & inanes sunt, ac mera antiquitatis figmenta. In re tamen ipsa fundamentum habet illa divisio, quæ mutationibus corpori certo plerumque annorum numero advenientibus utitur. Hæc autem mutationes, licet pro subiectorum varietate modo antevertant, modo retardent, quem terminum unius ætatis ponunt, faciunt etiam initium alterius ei proximæ. Porro mutationes hujusmodi ad duo referuntur, nimirum ad Hominis molem, & ad ejus vires. Præcipuæ mutationes tres sunt. Prima ab embryonis exclusione habetur ad totum illud tempus, quo mole, & viribus Homo crescit (mole autem ad longitudinem, seu staturam referenda est, vires vero in ætatum consideratione animales potissimum attendi debent). Ubi Homo crescere & statura, & viribus desinit, in eodem statu certo quodam annorum numero permanet, & hæc secunda ætas dicitur, sive consistens. Tandem viribus incipit infirmior fieri, & quandoque etiam non nihil decrescere, si non absolute, respective tamen, ob corporis curvitatē, quam adipiscitur. Hæc postrema ætas est, seu senilis, quam uno nomine senium vocant. Tres istæ totius vitæ Hominis præcipuæ partes habent peculiare suas affectiones, & proprietates, quæ fundamentum suum obtinent a prædictis mutationibus, & alias præterea, quæ ab eisdem mutationibus pendent, vel easdem necessario comitantur.

Porro quælibet dictarum partium in alias rursus subdividitur. Prima enim, quæ ultimo proceritatis, & virium incremento definitur, alias com-

prehendit mutationes; scilicet Homines a prima ab utero exclusionē per aliquod tempus rationis participes non sunt, & licet verba discant articulare, & apte aequaliter conjungere, tamen cum id non ratione duce faciant, sed potius imitatione, aut ad summum per rationis aliquale rudimentum, idcirco eorum locutio, perinde fere ac si non esset, consideratur; ob id primæ hæc ætas infantia dicitur, & regulariter septennio terminari censetur. Infantiam excipit pueritia, qua Homines rationis quidem compotes sunt, at perfectam non videntur adepti humanam naturam; nondum enim speciei propagationi apti sunt, cujus operis capaces fieri scemina duodecimo plerumque anno, mares decimo quarto censentur, & pro sexuum varietate, horum alteruter terminorum completum est. Incipit autem pubertas, quæ ad decimum octavum usque ætatis annum extenditur. Tandem subsequitur adolescentia, ita dicta, quod in ea maximum fiat virium, & proceritatis incrementum; non quod antecessis etiam annis Homines mole, & viribus non creverint, sed quod in hac ætate majora fiant incrementa, virium potissimum. Hujus terminum faciunt alii, corporis tantum augmentum respicientes, vigesimum quintum annum, alii, vires præterea animadvertentes, trigessimum. Et hisce quatuor particulis tota incremento attributa ætas integratur.

Secunda humanæ vitæ pars, consistens appellata, in binas secatur particulas. Prima juvenus est, a juvando dicta, eo quod Homines in hac ætate reipublicæ maxime utiles sint, cum & virium robore, & audacia valeant, quibus res publicas tutari, easque promoveri valent, unde vigor etiam, & vigen, sive florens ætas nuncupatur; regulariter autem ab anno vigesimo quinto originem ducit, definit ad trigessimum quintum, quo tempore

Homines, non modo robore, & viribus, sed etiam maturitate, consilio, prudentia, & rerum experientia, ac usu spectabiles sunt. Cum itaque virtutibus animi, & viribus corporis in postrema hac consistentis ætatis parte maxime præsentent, propterea qui in secunda hac consistentiæ parte sunt, Viri cognominantur, & ipsa virilitas dicitur, extensa in tota sua latitudine a trigésimo quinto anno ad quinquagesimum.

Pars tertia humanæ vitæ, in qua vires corporis languent, & corpus ipsum mole quandoque, apparenter saltem, minuitur, senectus appellata est, cujus tres faciunt partes, quas primum, secundum, & ultimum senium vocant. Primum est a quinquagesimo ad sexagesimum annum, secundum ab hoc ad septuagesimum, tertium, decrepitas etiam nuncupatum, a septuagesimo anno exinde fertur usque ad vitæ exitum; quod quidem vitæ reliquum a septuagesimo anno, & in potentatibus ab octogésimo, ad mortem usque producitur, ex Davidis sententia, labor est, & dolor.

Vitæ humanæ terminum definire minime est facile: omittentes enim accidentales causas, ob quas videntur Homines quandoque e vita decedere, priusquam naturaliter decessuros esse quis possit autumare; variat plurimum pro temperamentorum varietate, pro diversarum regionum incolatu, pro clymatum diversitate, pro vario cæli statu, & pro innumeris aliis; siquidem ante diluvium ad novem centum annos Homines vixerunt, exinde multo brevior vita est reddita, ut qui usque ad ultimum etiam senium vixerunt, & inter hos paucissimi, centesimum quinquagesimum annum attingerint. Nostra autem ætate vix unus, aut alter adnumeratur, cujus vita ad centesimum annum perducta sit.

Hiscæ de ætatibus Hominum in specie adnotatis, quo ad mutationes

corporibus accidentes, planum est, perspectumque, non ad has, sed ad aliud respexisse Hippocratem in ætatum divisione, quod ex hujus Aphorismi contextu manifestum fit, in quo pueritiam, adolescentiam, ætatem consistentem, & senium tantum enumerat. Id ipsum facit Galenus libro, cui titulus est *Definitiones medicæ*, qui inter ejus opera spuria recensetur, concordans in omnibus cum Hippocrate, nisi quod adolescentiam vocat puerbertatem. Pueritia ab ipso comprehenditur primis quindecim annis, subsequentes usque ad vigesimum quantum pubertatis facit, juventutem, & consistentiam simul a vigésimo quinto ad quinquagesimum extendit, senectutem demum constituit a quinquagesimo exinde: atque hos ætatum terminos tradidit variis in locis, in Commentariis super Hippocratis Aphorismis, & libro sexto de *Sanitate tuenda*, ubi subtiliores etiam alias facit ætatum subdivisiones. Cur autem artis bini isti Magistri quadrifariam tantum Hominis ætatem secuerint, ratio esse videtur, quia harum singularis unum ex quatuor elementis, unum ex quatuor humoribus in prædominio tribuerunt, Profecto Commentatores fere omnes, Prisci imprimis, Aphorismi hujus veritatem, & asseritorum causas a primarum qualitatum prædominio eliciunt. Quæ autem ratione id faciant, ab ipsorum Commentariis quisque potest eruere, in quibus veritatem quidem aliquatiter adumbrarunt, perfecte autem nequaquam attingere, ut eadem Commentaria perlustrantibus, perspectum esse poterit. Nos aliam inibimus viam, ad ea, quæ ab Hippocrate asseruntur, vera, regulariter saltem, demonstranda.

ADNOTATIO III.

Jejunium ferre nihil aliud importat, nisi & a fame, tanquam sensu molesto, non vexari, & eo in languorem virium non perduci, non obstante jejunii continuatione per aliquod tempus solito longius. Cum igitur Hippocrates ajat, senes facile jejunium ferre, sensus est, posse eos sine multa famis afflictione, & sine multo virium languore abstinentiam a cibo tolerare: *ly facillime* autem non absolute, sed relative intelligendum est, scilicet minime omnium difficulter, data temporis paritate, cæterisque omnibus eodem modo se habentibus, præter ætatem: Quod autem id verum sit, experientia ipsa testatur; famescunt quippe magis, & gravius ab inedia læduntur Homines in flore ætate constituti, quam in senili, & sic per gradus pueri magis, quam adolescentes, hi magis, quam ætate consistentes, & isti magis, quam senes. Verum animadvertere oportet, id intelligi debere quo ad ea, quæ regulariter observantur; cæterum res aliquando contrario modo se habet, præsertim in illis, qui in secundo, & postremo senio sunt. Jam vero ejus, quod regulariter fit, talis a nobis perquirenda est physica causa, qua res explicetur quidem, sed exceptiones contingentes possint salvari.

ADNOTATIO IV.

Nomine famis sensus quidam molestus intelligitur, quo ad sumendum cibum non modo invitamur, sed præterea sollicitamur, & quandoque, quasi dixerim, cogimur; quippe cum per repetitum experimentum didicerimus, & forte etiam in Matris utero existentes, suctione liquoris amnii, alimento famis molestiam sedare, quoties eam sentimus, ad alimenta, tanquam remedium contra molestum ip-

fius sensum, confugimus, quæ res in naturali statu semper pro voto succedit. Sensum autem molestum, a quo famem produci diximus, in membranæ ventriculi, potissimum vero in intima nervea, excitari ex hoc ipso didicimus, quod ad eum tollendum alimenta ingurgitamur, quibus in ventriculum delapsis, a molesto dicto sensu non amplius nos affici deprehendimus; simili prorsus ratione, ac eum dolenti alicui parti anodynum quodpiam applicamus, & dolor aut evanescit, aut mitior redditur. Ventriculus igitur famis sedes est. At vero a quo fames in eo excitetur, diu apud Medicos conquistum est & varie judicatum.

Locus hic non est, quæstionem hanc dirimendi; spectat enim ad physiologicæ disquisitiones, quarum notitiam supponimus. Nos ex pluribus, diversisque sententiis, eam hypotheticè assumimus, quam probabiliorè censemus. Cum autem, juxta sententiam nostram, ad ciborum in ventriculo concoctionem plura concurrant vel ut causæ efficientes, vel ut causæ instrumentales, vel ut causæ adjuvantes, vel ut requisitæ conditiones, vel alia etiam forte ratione, præcipuam tamen efficientem causam credimus esse succos salivales, gastricos, aliisque naturæ, aut in ventriculum delapsos, aut ab hujus glandulis secretos, & in ipsius cavum eructatos, qui omnes succi, cum salibus maxime imbuti sint, cujuslibet sint naturæ, si in eodem inveniunt in quæ suam exerant actionem, in eadem agunt, ea dissolvendo, sicque impediuntur, ne internæ ventriculi nervosæ tunicæ applicentur, nisi quo ad minimam partem, & transitoria quadam ratione, ac propterea sine ullo sensu: quod si ventriculus vacuus existat, ejus intimæ tunicæ applicantur, & cum vacuus ille sit, in angustum contrahitur, ob idque intima tunica, quæ non ut carnosa

me-

media, contractilis est, idcirco in plicis corrugatur, inter quas prædicti succi detinentur, unde actionem suam adaugent, sicque assiduam faciunt, & quasi dixerim contumacem. Constat autem eo majorem fore vellicationem a gastricis fermentis, quo hæc copiosiora erunt, & activiora. Copia major vegetioris secretionis effectus est; activitas vero a molecularum eisdem succos componentium conditionibus, videlicet a mole, figura, & proportione inter se, nec non etiam a motu proficiscitur. Profecto hæc omnia in florente ætate admodum vigere, secundum rationem est; nam qui ætatis florentis sunt, puriorem, & defecatiorem habent sanguinem, majorem item ejusdem sanguinis quantitatem, relate ad corporis molem, & sanguinis componentia integram in eisdem perfectionem sortiuntur. Exactior præterea solidarum partium structura, earum præsertim, quæ separationibus famulantur, existit; hinc & ratione materiæ, & ratione organi secretiones fiunt copiosiores, & secreti succi perfectiore crasi pollent. Ita porro fervidior sanguis actuosiore calore partes imbuat, a quo gastrici fermenti molecularæ validius agitantur, & atteruntur, unde earum spicula validioribus ictibus membranas percellunt. Ventriculus ipse, quia carneus est, validiore motu agitur, suamque actionem succis eisdem communicat, quæ vero nervus, sensationibus percipiendis magis idoneus existit; per ætatem enim magis rigentes nervæ fibræ torpescunt, & si carneæ, segnius contrahuntur, si nervæ, crassius, & ruidius ab objectorum impulsu vibrantur. Quamobrem hisce omnibus de causis oportet, ut, cæteris paribus, qui florentis ætatis sunt, citius & magis famescant, tardius & minus senes, & sic proportionaliter in cæteris ætatibus.

Ut Aphorismi hujus veritas semper magis eluceat, præternaturales fa-

mis effectus nobis sunt animadvertendi. Hos in duas classes dividimus, in eos, qui immediate a fame proveniunt, & in eos, qui famem consequuntur, fluuntque potius a famis causa, quam ab inedia. Quod ad primos attinet, quoniam famas, ut diximus, a molesto quodam sensu proficiscitur in interna ventriculi nervæ tunicæ factæ ab irritamento in ea excitato a succis ad ventriculum confluentibus, ob quem sensum ad alimentum assumptionem sollicitamur; si fermenti hujus major fuerit activitas, aut diutior actio in ventriculum, quam naturaliter esse soleat, multoque magis si utrumque, irritatio major fiet, & quandoque etiam dolorifica. Notum autem est, ubi validæ irritationes, aut dolores habentur, contractiones excitari in fibris, quamobrem major spirituum, & succorum effluxus contingit, a majore autem effluxu major eorundem spirituum, & succorum ad partem impetus exercetur; unde & magnum spirituum dispendium fit, & ob auctas secretiones multa humiditate sanguis depauperatur. Hæc, quæ a præternaturali fame producuntur, proportionaliter etiam haberi oportet a fame naturali, quoties vegetior sit; hujusmodi autem in juvenibus est, multoque magis quam in senibus, tum ob spirituosorem sanguinis naturam in illis, quam in istis, tum ob fermentorum perfectiorem crasim, vividiorumque activitatem, tum ob exquisitiorem ventriculi sensum. Id ipsum profecto probari potest ex effectibus a causa famis provenientes, videlicet ab inedia. Quid enim aliud inedia facit, quam sanguinem privare materia pro ipsius reparatione necessaria? Quod si hoc, consequi oportet, causas omnes, quæ ad alimentum in sanguinea vasa ducti conversionem in sanguinem agere debent, actionem suam exercere contra sanguinem ipsum, qui tandem,

præsertim quo ad spirituosas partes, consumitur; unde est, ut qui continuatam inediam sustinent, in maximum virium languorem incidant, nec unquam reviviscant, nisi alimentum offeratur. Quoniam vero in adolescentibus causæ sanguificantes vividiores sunt, quam in senibus, propterea fit, ut solutio, ejusdemque spirituosæ partis pessundatio, celerior contingat, sicque vires posternantur; hinc ad virium ipsarum restaurationem alimentum sumere citius coguntur, quod idem est, ac dicere, jejunium ipsos ferre non posse. Quæ de flore ætate relate ad senilem hæctenus dicta sunt, si ex adverso de senili dicantur comparata ad ætatem florentem, aut proportionaliter a puerili ad senilem per gradus transeundo, totius Aphorismi veritatem comprobabunt.

ADNOTATIO V.

Aphorismi hujus veritas universalis esse non potest, nisi relate ad ea, quæ regulariter contingunt, at non absolute; & licet nonnulli absolutam veritatem salvare conentur, dicentes intelligendum esse Aphorismum

de ætatibus in eodem Homine, quoniam fieri potest, ut idem Homo, cum puer est, imbecillo sit ventriculo, vivido in ætate florente, rursus languido senex factus, patet, id satis non esse ad absolutam universalitatem salvandam. Profecto in sententia, quam adduximus, manifestum est, fieri posse, ut plures ab universalitate exceptiones habeantur. Constat siquidem, plures adesse posse causas, propter quas aut fermentorum gastricorum inertia in pueris, aut eorundem parca secretio contingat, aut tunicarum ventriculi sensus hebetior, quam solet existat, aut spirituosæ sanguinis partis promptior, quam decet, dissipatio, & effluxus fiat, aut id census alia eveniant, quæ si per contrarias senibus, si proportionaliter intermediis ætatibus applicentur, quantæ oboriri possint in re hac varietates, perspicuum est. Non est ideo abjiciendus Aphorismus, nec de falsitate culpandus; ad medicam enim universalitatem retinendam, salvandamque, satis est ut veritas respondeat iis, quæ regulariter observantur, quandoquidem irregulariter contingentia, fere ut morbola sunt consideranda.



APHORISMUS XIV.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati : plurimo igitur egent alimento ; alioquin corpus absumitur . Senibus vero parum calidi innati inest , paucis propterea fomitibus egent : quia a multis extinguuntur . Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acute sunt ; frigidum enim eorum corpus .

E X P O S I T I O .

Dixit Hippocrates in superiore Aphorismo, senes facillime jejunium ferre, sicque decrescendo, non senes usque ad pueros, qui jejunium difficillime omnium ferunt. In hoc Aphorismo, cur id contingat, rationem reddit, Antiquorum innixus fundamento de calido innato, cui, ut vitam Prisci commendabant, sic & causam affigebant præcipuarum facultatum in quocunque genere. Patet hinc conexio hujus Aphorismi cum præcedente, Auctoris intentio, & ratio intentionis.

Unica continetur in hoc Aphorismo sententia, duplicem tamen comprehendens partem ; quarum prima iis verbis habetur *Qui crescunt &c*, altera ibi *Senibus vero &c.*, cui consuetarium quoddam subsequitur postremis Aphorismi verbis *Hanc etiam ob causam &c.* Ea autem sententia, licet falsæ hypothese calidi innati, & humidi radicalis antiquorum innixa sit, si tamen pro calido innato intelligatur principium illud vitale, quod in Homine est, & animalibus perfectioribus probabiliter sulphureo-salinum volatile, a quo crassamentum sanguinis perpetuo dissolvitur, indeque elicitor non leve aliquid necessarium ad facultates omnes, potissimum vero vitales, sique pro humido radicali sanguis ipse intelligatur, profecto sua veritate non caret. Hanc autem sic probamus, & primum quo ad primam sententiæ partem.

Illi plurimo egent alimento, quibus principium illud, a quo facultates omnes, præsertim vero vitales, pendent, maxi-

maxime activum est; alias principium idem converteretur ad corporis absumptionem faciendam. Sed hoc principium maxime activum est in illis, qui crescunt, cum nutritio, & accretio pertineant ad facultatem vitalem. Ergo qui crescunt plurimo egent alimento, alioquin corpus absumitur.

Major est certa. Minor vero cuicumque patere poterit animadvertenti, nutritionem, & accretionem a causa vegetativa pendere, quæ eo activior esse debet, quo proximior est vi generatrici, a qua procreatur.

Secunda pars sic e contrario potest probari.

Ætates, quibus accretio fit, contrariæ sunt ætati senili. Sed in ætatibus, quibus accretio fit, ex probatis, principium, a quo facultates, præsertim vitales, maxima parte pendent, activum maxime est. Ergo in ætate senili idem principium minimæ activitatis erit. Subsumo. Sed in ætatibus, ubi dictum principium maximæ activitatis est, item ex probatis, plurimum convenit alimentum; alioquin corpus absumitur. Ergo in senibus, qui principium dictum minimæ activitatis habent, exigui fomites requiruntur, quia a multis extinguuntur, idest opprimuntur.

Quod autem (& jam venio ad Corollarium) ob eandem activitatis ejus principii inertiam febres in senibus non similiter acutæ fiant, ac in illis, qui crescunt, patet: Quoniam in febribus & quod exsolvit, & quod exsolvitur idem est principium sulphureo-salinum volatile præter naturam exaltatum; quod cum minimæ activitatis sit in senibus ad exsolvendum, consequens est, ut & paucum, & non adeo energeticum, etiam præternaturaliter exaltatum, possit exsolvi.

Atque hæ mihi videntur præcipuæ rationes, nostris, & ut spero, sanioribus principiis utendo, quibus veritas probari potest utriusque partis aphoristicæ sententiæ, & ab hac fluentis Corollarii.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Quod primum ad Aphorismum. hunc adnotandum occurrit, Hippocratis intentionem respicit in eo condendo. Profecto consideranti decimum tertium subsequi, in quos senes facillime jejunium ferre, sicque decrecendo usque ad juvenilem aetatem, & ad pueros, affirmavit Celsus Senex, facile est cognoscere, rationem voluisse adducere eorum, quæ superiore Aphorismo comprehenduntur. Verum non id agere solum contendit, sed præterea fundamentum etiam ponere, cur diversis anni temporibus variari debeat per secundam conjecturam, quæ mutationes in ægris contingentes amplectitur, victus ratio a morbo expositulata, & aliquid quidem, sed non ex integro stabilita operatione primæ conjecturæ provenientis a consideratione accessionum, & constitutionum, quarum indicia in decimo secundo Aphorismo exaravit. Cum autem ad dictam secundam conjecturam æque pertineat consideratio aetatum, ac illa temporum anni, ideo rationem reddens dictorum quo ad aetates, fundamentum etiam ponit dicendorum relate ad anni tempora. Summo itaque consilio decimum quartum hunc Aphorismum duobus interposuit, quibus præcipua mutationes in ægris pœnentia proponit, hoc est aetates, & anni tempora.

ADNOTATIO II.

Am nunc ad rationem ab Hippocrate adductam accedentes, scire oportet, Priscos, ex quo animadvertentur pleraque animalium, & in his perfectiora omnia, calorem cum vita conjunctum adeo habere, ut tandiu vivant quandiu calent; quorum qui-

dem animalium calor cum sicco non sit, qualis in igne, aut flamma est, sed humido temperatus; cumque præterea observaverint, animalium quorumcumque corpora exsucca non esse, sed multa humiditate referta (distantur namque humoribus, & flexibilibus solidis partibus, quæ tales esse non possent, nisi humido alluerentur, ac imbuerentur) in eam facile adductos fuisse sententiam, ut crederent, animalium vitam in calido, & humido consistere, in illo ut principio activo, in hoc ut passivo. Quoniam vero plura sunt in hoc mundo calida, & humida, quæ non ideo vivunt, coacti fuerunt peculiarem caloris naturam excogitare ab elementari diversam, quæque per traducem de genitore in genitum propagaretur; atque hinc calorem innatum congenitum, & nativum dixerunt, & substantiam quandam ætheream esse censuerunt. Cum autem calor hic conservari exposceret, reparari, atque insuper attemperari, credebatur enim per se efferatæ naturæ esse, certis ideo coercendæ legibus, munus hoc humido demandarunt, quod & ipsum peculiaris cujusdam naturæ finxerunt, calido non attemperando solum, sed etiam conservando, & reparando idoneum: Et hoc pariter, ad cujusvis alius humidi distinctionem, insitum, & radicale appellaverunt.

Porro ad vitam animalium, flammæ nescio quid simile habentem, explicandam, lucernæ allegoria utebantur, & sicuti in hac flamma ab ellychnio oleo imbuto conservatur, quo deficientem illa quoque deficit, & extinguitur, ita quoque ab humido radicali calidum conservari dicebant, quousque humidum illud satis erat calorem fovere; & cum utrumque ingenitum esset, propterea sicuti calor ab humido conservari exposculabat, ita & humidum

dum reparari, quod ab alimentis repetebant. Sed cum ex phænomenis constaret, majore calore ditari pueros, & adolescentes, quam in consistente ætate constitutos; multoque magis, quam senes, idcirco non per æqualia fieri consumptionem humiditatis radicalis, ejusdemque reparationem censebant, proptereaque illud tandem fore autumabant, ut cum humidum ad eam parvitatem devenisset, qua fovendo calori non amplius par esset, vitalis flamma extingueretur, & vita in mortem commutaretur.

Quemadmodum autem vitam generatim ab innato calore per insitum humidum conservato & foto repetebant, ita etiam facultates, actionesque omnes, præcipuas saltem, & potissimum vitales, & naturales ab eodem principio deducebant. Pro varia autem amborum inter se habitudine diversis ætatibus, diversisque anni temporibus, variam ejusdem caloris esse activitatem autumabant. Quod itaque ad ætates pertinet, phænomena in eisdem contingentia observabant, & cum viderent, in juvenili ætate famem esse vividiorum, eoque semper magis, quo pueritiæ erant proximiores, crescente autem ætate non adeo furentem esse, ut in senio tandem languida se prodant, hinc innatum calorem in pueris maximum, minimum in senibus, medium proportionaliter in mediis ætatibus constituebant.

Hæc fundamentis innititur quidquid Hippocrates habet tum in decimo quarto Aphorismo, tum in superiore decimo tertio, itemque quod subsequenti decimo quinto docet, & alibi. Verum quam commentitia sit exposita Antiquorum hypothesis, eorundem scripta declarant, quæ varia adeo, & obscura proferunt, ut manifestum sit, præter nomina, & ipsorum mentis figmenta, nihil aliud ipsos eisdem de tam altis mysteriis intellexisse. Sed quod attingere ipsis datum.

non fuit, pro voto cessasse Dominico Parenti meo confido in quadam Dissertatione *De Calido innato, seu de Sulphuribus animalibus* ab eo inscripta; ad quam licet adolescentes, quorum indigentia ad lauream consequendam hæc consecramus, remittere possemus, tamen operæ pretium ejus hæc compendiosam notitiam subjungere existimamus, sinentes, ut qui uberiorem cupit, ab ipsa hauriat Dissertatione.

Dominicus itaque Gulielminus calorem animalium nullatenus dissimilem censet a calore extra animalia existente; cumque hunc, ut ex ejus quinta Dissertatione *de Principio Sulphureo* constat, in celeri, & perturbato sulphurearum particularum motu constituat, ita & ab earundem motu celeri, ac perturbato in animalibus quoque excitari contendit. Porro calorem hunc in animalibus eo potius, quæ idcirco calida nuncupantur, aut ab externo, aut ab interno corporis haberi considerat; sed quoniam causa externa calorem excitans, eumque animalium corporibus communicans, nec ubique, nec semper viget, calor autem in animalibus semper plus, aut minus deprehenditur, quin in animalium exortu manifestatur, perpetuoque in eisdem conservatur usque ad vitæ exitum, propterea ab interno haberi decernit. Et quia in nonnullis vita ad insigniter longum tempus producit, veluti in homine, & nullum in animalium corporibus immensæ adeo molis sulphurearum particularum copia depromi possit, quanta requiritur, ut & per totam vitæ durationem calor conservetur, & perpetuo e corpore effluat, propterea promptuarium hoc reparabile esse debere conjectatur. Quoniam vero sulphureum effluviū indefinenter de se debet præbere, quo partes omnes perfundantur, prætereaque quod semper e corpore abscedat, hinc non reparabile solum, sed facile reparabi-

rabile esse oportere asserit; cumque multo facilius reparentur ea, quæ fluida, quam quæ sunt solida, sequitur, ait, debere esse promptuarium dictum aliquod corporis fluidum. Considerat autem in animalium calidorum corporibus duo tantum haberi fluida plurimo scæntia sulphure, sanguinem, videlicet, & chylum; sed cum hic in illius gratiam a Natura comparatus, temporaneum fluidum in animalium corpore sit, decernit tandem, sanguinem fluidum illud esse, a quo, tanquam a promptuario sulphureo, sulphur depromitur ad calorem in animalibus perpetuandum. Et en brevibus ipse sententia. In quacunque exsolutione tria necessario requiruntur, corpus e quo exsolutio fiat, idest exsolubile, id, quod exsolutionem faciat, nimirum exsolvens, & id, quod exsolutum manet, ipsum nempe exsolutum. Sanguinem, & in eo præcise crassamentum, hujusque fibræ imprimis, exsolubile statuit, exsolvens autem, & exsolutum idem facit effluviæ sulphureum a crassamento sanguineo emanans, & exsolutum quidem, quatenus ab eo depromitur, exsolvens vero, quatenus eidem applicatur, novamque parat exsolutionem. Sulphur itaque attenuatum e sanguineo crassamento depromptum, & a reliquorum sanguinem componentium nexu liberatum, ipsiusque sanguinis sero exceptum, ideoque in agendi libertate positum, illud est, quod calorem procreat, fovet, atque conservat in animalibus, quæ ex Natura præscripto calida sunt; sed non sulphur sincerum, at salibus muriaticis volatilibus associatum, a quorum consortio plurimum adipiscitur activitatis. Pergit autem inquirere, quomodo effluviæ sulphureo-salinum volatile pro vitali principio haberi possit, illudque statuens moderatæ activitatis, nec unquam ad ignis, aut flammæ naturam evehendum, utpote quia sanguineo sero exceptum, cujus basis aquea

fulphuris inflammabilitati opponitur (præter alias conditiones ad inflammabilitatem fulphuris necessarias, quæ in animantium corporibus desiderantur) varios ei effectus tribuit, quorum præcipuus est, ut liquorum omnium secretionibus saveat, divisa ab invicem detinendo quacunque eorundem ingrediuntur compositionem, inter quas cum illa præ cæteris necessaria sit, quæ in cerebri cortice fit, spirituum animalium, a quorum diffusionem, & dispersionem per univærsum nervosum genus, ejusdemque actuationem promanat tandem sensus, & motus, in quorum proxima potentia ad emergendum in corpore vita animalium consistit, propterea cum huic vitali operi principaliter famuletur, ita & ipsum quoque vitale dici, & haberi meretur. Non ab hoc tamen effluvio; præcise uti sulphureo, id omne vult obtineri, sed uti celerrime, & perturbate moto, considerans namque (præter alia) plurima quidem animalia calida esse, at plura adesse alia, in quibus calor aut nullus, aut certe paucissimus, ad sensum saltem, observatur, idcirco his non sulphureum statuit effluviæ, sed salinum volatile vix paucò sulphure ei admixto, quod cæteroquin in nemine animalium desideratur, utpote quia eorum cuncta corpora cremari possunt, atque idcirco ab eo appellatur effluviæ salino-sulphureum volatile, a quo ea eadem reperit in frigidis animalibus, quæ in calidis a sulphureo-salino volatili. Hujus demum effluviæ concursum ad varias actiones præcipue naturales exponit, veluti ad cibariorum coctionem, ad corporis augmentum, ad speciei propagationem, atque ad id census alia: tum alia, præsertim vero quæ spectant ad diversam diversis anni temporibus caloris in animalium corporibus habitudinem ad examen revocat, quæ omnia ei videnda in Dissertatione relinquimus, qui plenam suæ sententiæ notitiam.

concupiscit; contenti nos hic perstrinxisse ejusdem sententiæ summam, dum in subsequenti adnotatione ad ipsum. Aphorismum considerandum properamus, cujus veritatem in adducta sententia, qua per nos licebit ratione, ostendemus.

ADNOTATIO III.

Dicit Hippocrates, eos, qui crescunt, plurimum calidi innati habere, quod juxta nos idem sonat, ac dicere, copiosius, & activius esse in illis, qui crescunt, principium illud vitale, quod cum Parente nostro statuumus in Homine, cæterisque calidis animalibus effluvium sulphureo-salinum volatile, quod perpetuo e sanguinis crassamento, maxime vero ex ejus fibra, exsolvitur. Cum autem idem sit & exsolvens, & exsolutum, hinc est, quod eo facilius exsolvetur, quod a teneriore exsolubili deprometur, & eo fortius agit ad exsolvendum, quo & copiosius, & activius fuerit, cæteris paribus. Jam vero cum principium hoc inditum in animalia sit a Natura in eorum generatione, effectus vero semper majores emergant, quo causis suis sunt proximiores, propterea principium dictum quo proximius generationi erit, eo erit vividius, & quo vividius, eo activius, atque idcirco, quantum est ex se, eo majorem etiam efficiet sibi similis effluviæ exsolutionem. Constat autem in animalium corporibus eo teneriores partes omnes esse, quo proximiores sunt generationi, cumque partium solidarum naturæ respondere debeat natura fluidorum, a quibus depromitur quidquid ad eorum solidarum nutritionem, & actionem requiritur, propterea sanguis tenuioris, fluidiorisque naturæ esse debet; quamobrem crassamentum sanguineum, ejusque fibra imprimis tenella admodum erit, & mollis, atque ad fluiditatem, maxime prona.

Igitur tum respectu effluviæ exsolventis, tum respectu corporis exsolubilis facilius, promptius, copiosiorque debet confici effluviæ sulphureo-salinalis exsolutio. Sed ab hoc calor in animalibus emergit, quæ calore a Natura donata sunt. Ergo in illis, qui proximiores generationi sunt, calor vegetior haberi debet; sunt autem isti, qui crescunt; ergo qui crescunt plurimum caloris habent. Si quæcunque de illis, qui crescunt, idest de pueris, ac adolescentibus diximus, contraria ratione fumantur, statim fluit consequentia; senes igitur parum caloris habent, senilis namque ætas contraria est puerili. Sic medio, & proportionali modo futura res est in intermediis ætatibus.

Diximus supra, effluvium sulphureo-salinum volatile, quoniam inditum in animalia est in eorum generatione, copiosius activiusque esse in ætatibus generationi proximis, quam in remotis, idque ex eo, quod effectus majores se prodant, quo proximiores sunt causis eos producentibus, minores e contra. At vero totum id verum est, quoties de causis sermo sit nullatenus reparabilibus; verum in illis, quæ reparabiles sunt, res valde aliter procedere potest, & alterari. Hinc illud quidem effluvium, quod animalium corporibus in ipso generationis actu insitum est, activius profecto erit, quo generationi erit proximius; sed quia calor in animalibus conservatur per effluvium indefinenter elevatum a sanguine, cujus perpetua sit reparatio, propterea, pro sanguinæ reparationis mensura, effluvium, a quo calor elicitur, haberi debet; sique reparatio major fuerit aut quo ad quantitatem, aut quo ad naturam eorum, quæ pro reparatione suppeditantur, quæque plurimo scateant sulphure, profecto calor copiosior, & activior emerget, ob copiosius activiusque effluvium exsolutum. Efficient hæc,

ut non raro res aliter observetur, ac solet evenire, quemadmodum ad superiorem etiam Aphorismum adnotavimus quo ad famem, quæ plerumque in pueris multa est, exigua in senibus, quandoque vero ex accidenti variat. Non diutius in re hac immoror; quæ enim ibi dicta sunt, facile huc transferri possunt, & ad ea, quæ ad hunc Aphorismum pertinent, accommodari. Cæterum licet superius jam dicta universaliter vera non sint, Aphorismi tamen veritas, regulariter loquendo, adhuc manere quodammodo potest. Nam si animalium calorem cum nonnullis distinguamus in insitum, sive ingenitum, sive innatum, atque influentem, sive de novo animalium corporibus advenientem; jam quo ad insitum res plane procedit, quo vero ad influentem, nimirum perpetuo reparantem illum, cujus indefinenter jactura fit, licet observare, infantes vesci lacte, jusculis, aliisque tenellæ admodum substantiæ, quæ ut in ventriculo facile in chylum convertuntur, sic sub chyli forma in venas delata, sanguinis naturam æque facile nanciscuntur, promptamque sui admittunt ad minima attenuationem; pueros non adeo tenellis uti cibis, non difficilis tamen, ut ajunt, digestionis; juvenes omnia indiscriminatim sumere, & sine ulla constituta mensura, aut lege quavis alia; viros item omnibus se præbere esculentis promptos, sed certam quandam servando normam & quo ad quantitatem, & ad quo ad sumptionis horas, ut non prius, regulariter saltem, mandant, quam antecederent sumpta digesserint; senes tandem parcissime omnium ali, merique potius, & potulentorum, ac sorbitionum spirituosarum, refocillantium, atque nutrientium, ipsa Natura, & indigentia dictante, & invitante, esse amatores. In hoc variæ alimonix progressu, juxta varias ætates, conjicere facile est, regulariter ea sanguini pro ipsius re-

paratione suppeditari, a quibus generationi proximius ad influentem conservandum calorem promptius, copiosiusque exsolvi effluviis sulphureo-salinum volatile potest, contra in ætatis generationi remotioribus segnius ac parcus. Materia enim, a qua pro ætatum varietate illud est depromendum, ut varia est aut substantia, aut quantitate, relativa tamen ad ætatem, aut mollitiæ, aut pluribus ex his, ita effluviis idem varia quantitate, & activitate apta est præbere.

ADNOTATIO IV.

EX plurima calidi innati præsentia in illis, qui crescunt, tanquam ex antecedente, consequentiam elicit Hippocrates indigentix plurimi alimenti, id perspicue indicante illativa particula *igitur*; subjungitque, illud esse consecuturum, ni plurimo utantur alimento, ut corpus absumatur. Similiter, loquendo de senibus, ex quo parum calidi innati habeant, deducit eos paucis fomitibus egere, id quoque suadente alia particula illativa *propterea*; hujusque consequentix aliam adducit rationem, quia nempe a multis fomitibus extinguuntur. Id totum quomodo in nostra sententia intelligendum sit, & possit probari, adducere oportet. Patebit autem ex iis, quæ supra ex Dominico Parente nostro attulimus. Certum est, corpora nutrirî, & crescere ob aliquid nutriendo aptum a sanguinis crassamento depromptum, & ejusdem sero exceptum, a quo in quaslibet partes fertur, eisque agglutinatur, aut in abscendentium reparationem, unde nutritio, aut in solidorum augmentum, unde accretio, aut in utrumque; cum enim partes nostri corporis omnes una juxta aliam sint, & aliæ perpetuo, jugiterque moveantur, aliæ vero non jugiter quidem, sed frequentibus motibus agitentur, omnes denique a fluidis eas per-

transeuntibus indefinenter abluantur, fieri non potest, quin aliquis attritus quibuscumque partibus accidat, & in illis, quæ perpetuo motu pollent, semper plus, aut minus, pro diversa ipsarum motus intensione, identidem vero in illis, quæ modo moventur, modo non. Jam vero ad hæc opera plura concurrunt, & sanguineæ exsolutionis causa una non est. Verum quædam ex præcipuis est actio principii, sive effluvi sulphureo-salini volatilil, quod quo copiosius, vividiusque sanguinis crassamento applicitum est, eo etiam majorem, promptioremque ejusdem parat exsolutionem; ex quo consequitur, nisi sanguis in dissolutionis proportionem reparatur, fore ut tantæ fluiditatis eveniat, ut nutritias partes de se præbere ineptus maneat; cumque sanguis reparatur per chylum in ventriculo confectum, & per lactea vasa deductum in venas, idcirco si proportionalis fuerit chyli affusio sanguinis factæ dissolutioni, futurum erit, ut illud servetur æquilibrium inter causam exsolventem, & corpus exsolubile, quod necessarium est, ut exsolutum etiam idem præter propter conservetur perpetuo; sin minus minuetur, & tandem deficiet. Accedit, effluviu idem, cum per omnes corporis partes diffundatur, ab eisdemque semper effluat, fieri non posse, quin secum rapiat particulas a fibril, quibus solida constant. Nisi igitur præsto etiam semper fuerint tot partes a sanguineo sero suppeditatæ, quot ad avolantium substitutionem sufficiant, brevi fibrosæ partes attenuabuntur, corpusque ad marcorem perduceretur, quod idem est, ac dicere absumentur. Præterea actio ipsa ventriculi & infracta, & subversâ futura est pluribus nominibus, unde impertecta chylificatio, ex qua consequitur & pauci chyli extractio, cum maxima pars ad crassa intestina ablegetur, & quæ sub chyli forma ad sanguinem transfertur, nec

recte subacta sit, nec probe elaborata, atque idcirco difficile in sanguinem convertetur, nullo autem pacto in bonum, &, ut decet, laudabilem. At vero copiosius, vividiusque effluviu in illis, qui crescunt, haberi, quam in cæteris ætatibus in superiore adnotatione probavimus. Ergo in illis, qui crescunt, opus est, ut sanguis maxime reparatur. Reparatur autem per chylum ab alimentis extractum, & probe confectum. Ergo plarimo egent alimento, cujus necessaria quantitate ad enunciatum æquilibrium deficiente, fit, ut eo etiam potentius agat effluviu sulphureo-salinum volatile in solidarum partium consumptionem, adeoque corpus absumentur.

Porro indicatum æquilibrium inter causam dissolventem sanguinem, & corpus dissolvendum, ipsum nempe sanguinem, ex eo etiam auferri potest, quia sanguinis massæ chylus aut copiosior, quam par est, aut crassior, quam in laudabilem sanguinem converti possit, suppeditetur. Ne id senibus accidat, in quibus innatus calor exiguus est, idest effluviu sulphureo-salinum volatile a nobis admisum, ad calorem in animalibus perpetuandum, & paucum, & infractæ activitatis est, requiritur, ut sanguis ad indigentiam rationem reparetur; parce propterea ali oportet senes, iisque velici, quæ fere ipsa per se in dictum eleventur effluviu; atque hinc fortassis est, ut opinor, cur mero, ipsa dictante Naturæ indigentia, senes quam maxime obsequantur. Quod si aut crudis, aut multis alimentis repleantur, protecto obruentur; auctis enim resistentiis, vis effluviil languida præ ætate facta, languidior semper evadet, vixque ullam parare poterit exsolutionem; idcirco cum a cæterorum sanguinis componentium consortio evolvi nequeant sulphureo-salinæ volatiles particule necessariæ ad inducendam, qua in superiore adnotatione diximus

ratione, universi corporis aëstuationem, virtus omnis vitalis languida, & oppressa maneat necesse est, &, ut hippocratico termino utar, extincta.

ADNOTATIO V.

EX quo senes minimo potiuntur calore, non solum paucis alimentis eos uti debere deducit Hippocrates, sed etiam aliam consequentiam trahit, tanquam confectarium ab eodem antecedente fluens, scilicet febres in senibus non similiter, ut ipse ait, acutas fieri, idest non ejusdem, sed minoris acutiei, ac in juvenibus, idque indicatur a ratione ab ipso eodem adducta, quod nempe eorum corpus fit frigidum; qui effectus est exigui caloris, nec tantæ activitatis, ut senum corpus possit calidum reddere. Hoc autem facile, & expedite in Antiquorum sententia probatur. Cum enim, Galeno distante, febris fit caloris nativi in igneam quandam naturam conversio, in senibus autem calor natus languidus omnino fit, consequens est ut ad igneam naturam, nonnisi difficulter, & remisse admodum, possit evehi; ergo febres in senibus remissi admodum gradus esse oportet; remissio autem gradus efficit, ut acuties minuat; ergo febres in senibus acutæ non erunt, quemadmodum in juvenibus.

Id ipsum in nostra etiam sententia consequitur. *Febrim* in quadam exercitantiacula *de Febris natura* Dominicus Parens noster definit *præternaturalem constitutionem, qua sanguinis massa ultra consuetos naturæ limites agitur*. Sanguis fluidum quoddam est

mixtum, basim aqueam habens, de cætero pluribus aliis constans aqueo humore immixtis, quæ quo magis attrita, & commota sunt, eo etiam majorem in sanguine ponunt fluiditatem. Jam vero attritionis, motionisque hujus una ex præcipuis causis relucet in actione, scilicet in celeri, perturbatoque motu effluvii sulphureo-salini volatilis ab ipso sanguine jugiter emanantis, & ad irresolutas sanguinei crassamenti moleculas appliciti, ut ejus perpetuetur attritio, & agitatio, ad eos omnes usus, de quibus ipse Dominicus in sua *de Calido innato* Dissertatione, quorum nonnulla pro nostra indigentia in superioribus adnotationibus tetigimus. Hinc ubi naturaliter dictum effluviolum paucum erit, & iners, parum quoque, & segniter sanguineum crassamentum dissolvit, & agitabit, adeoque sanguis universus parum solvetur, exiguæque erit fluiditatis. Porro quod in naturali statu fit, eveniat etiam oportet proportionaliter, cæterisque paribus, in statu præternaturali; & licet in febribus effluviolum sulphureo-salinum volatile majoris activitatis esse debeat, quam in naturali statu, tamen in senibus, in quibus naturaliter languet, ad eam activitatem perducere nequit, ad quam præternaturaliter exaltatum in juvenibus evehitur, qui naturaliter multo calore a Natura ditati sunt. Non igitur poterit in senibus adeo ultra naturæ limites sanguis agitari, ut similiter, ac fieri potest in juvenibus, excitetur. Ergo febres in senibus non adeo acutæ fient &c.

APHORISMUS XV.

Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est: unde & pluribus egent alimentis; indicio sunt atates, & athletæ.

E X P O S I T I O.

Ventrium diversa constitutio diversis anni temporibus una est ex circumstantiis attendendis, ut conjectura assequi possimus, quanam præcise quantitate alendi sint ægri, ut subsistere queant usque ad morbi vigorem. Hanc igitur considerationem in hoc Aphorismo proponit Hippocrates, postquam duobus antecedentibus illam ætatum proposuit. Accuratissimo autem doctrinæ ordine id facit, cum & harum, & illorum idem sumat fundamentum, calidum nempe innatum. Et jam patet connexio hujus Aphorismi cum præcedentibus, magni Senis intentio, & ratio intentionis.

Unica est in Aphorismo sententia, cujus fundamentum si ad saniora principia redigatur (scilicet pro calido innato si intelligatur principium illud activum probabiliter sulphureo-salinum volatile in sanguine existens, quod perpetuo agit ad crassamenti sanguinei dissolutionem, ut inde consimile eratur principium, & in corpore veluti perennetur, nisi omnino, plurimum certe faciens ad præcipuas functiones, potissimum vero vitales habendas) tantum abest ut sententia ipsa a sua veritate declinet, quin potius verissima deprehendetur. Sic igitur ex nostris principiis probetur.

Tunc pluribus egent alimentis, quando principium expositum magis tendit ad crassamenti sanguinei dissolutionem. Sed tunc, cæteris paribus, maxime tendit ad dissolutionem crassamenti sanguinei, quando idem copiosissime detinetur in corpore. Ergo tunc pluribus egent alimentis, quando maxime dictum principium in corpore detinetur. Subsu-

mo. Sed tunc maxime detinetur in corpore, quando minima habetur transpiratio. Ergo tunc pluribus alimentis egent, quando minima transpiratio celebratur. Iterum subsumo. Sed hyeme, & ineunte vere transpiratio minima absolvitur. Ergo hyeme, & ineunte vere principium activum a nobis adductum copiosissime in corpore detinetur; ideoque alimenta ad sanguinei crassamenti uberiores reparationem copiosiora sunt exhibenda.

Quoniam vero principium illud, de quo a nobis dictum est, substitutumque loco calidi innati Antiquorum, utpote potissima parte sulphureum, narcotica quadam vi pollet; consequens est, ut si copiosius in corpore hyeme, & vere retineatur, ponat in somnum propensionem; quamobrem hyeme, & vere somni erunt longissimi.

Quod autem in calce sententiæ suæ addiderit Hippocrates *indicio sunt ætates, & athleta*, id ad similitudinem solum adducendam factum esse reor, & indicare voluisse, sicuti in florente ætate, atque in athleticis maximus est calor innatus, in sententia autem nostra effluvium sulphureo-salinum volatile maximæ est activitatis, & ob id tum qui florentis ætatis sunt, tum qui in palæstris exercentur, plurimo egent alimento; ita porro in omnibus, debita proportione servata, hyeme, & ineunte vere, quoniam plurimum est, maximeque viget dictum principium, plurima requiri alimenta.

Sic quidem solidioris Physicæ principiis probata nobis videtur aphoristica sententia, & quidquid in eadem continetur explicatum.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Aphoristica hæc sententia tota innititur Antiquorum hypothesi de calido innato; ideoque quidquid de re hac dictum est in superiore

Aphorismo, ad hunc etiam pertinet. Iis itaque omnibus, quæ de calido innato juxta Dominici Parentis nostri opinionem retulimus, suppositis, ad ipsum Aphorismum protinus accedimus.

ADNOTATIO II.

VEntres hyeme, & vere calidissimos dixit Hippocrates, quia tunc calor innatus plurimus adest: per contrariorum autem regulam fuit (ipso etiam tacente Hippocrate) eisdem æstate, & autumno minimum calidi habere. In rem hanc præterea animadverto, sumere duas simul copulative anni tempestates, scilicet hyemem, & ver, easque ita invicem conjungere, perinde ac si nullum intercedere inter hyemem, & ver discrimen videatur; ad cuius similitudinem nos quoque in expositione nostra æstatem, & autunnum una copulavimus.

ADNOTATIO III.

JAm verò tum ver, tum autumnus in tres distinguuntur particulas; ver quidem in incipiens, in vicens, & in finiens, sive in primum, secundum, & tertium ver: autumnus vero similiter in incipientem, adultum, & præcipientem dispescitur. Quoniam vero primum ver adeo proximum est hyemi, ut ab hoc dissimile vix queat dignosci, & secundo vere ejusdem effectus vix persentiantur, recte propterea Hippocrates ver cum hyeme conjunxit quo ad maximam sui partem; nam quod spectat ad finiens ver, cum ejus effectus cum illis æstatis maxime cohæreant, ad æstatem commode referri potest. Ita porro autunnum, quo ad sui initium, & consistentiam, cum æstate, quasi dixerim, confundere proclive est; iidem namque æstatis perseverant effectus, nonnihil tantum infracti quo tempore autumnus ipse adlevit. At quando ad finem properat, frigidus adeo evadit, cunctaque Naturæ phænomena ad imminentem hyemem commonstrandam ita conspirant, ut cum hyeme ipsa, procul ab ullo errore, sumi possit, & copulari.

ADNOTATIO IV.

PRo ventribus intelligendæ sunt quæcunque corporis cavitates, quibus præcipua viscera præcipuis facultatibus dicata continentur; potissimum vero spectant ad hunc Aphorismum thorax, atque abdomen, in quorum primo viscera vitalibus actionibus peragendis destinata reconduuntur, in altero vero naturalibus facultatibus famulantia viscera comprehenduntur. Hæc enim cibariorum digestionem apprime faciunt, illa chylum in sanguinem convertunt, quod utrumque costionem nomine venit, distinguunturque inter se adjuncto tantum epitheto primæ, & secundæ; quamobrem cibariorum in chylum conversio prima costio appellatur, chyli autem in sanguinem transmutatio, cujus præcipua instrumenta cor, & pulmones in pectore resident, secunda costio vocatur.

Sed jam, ut Aphorismi veritatem ostendamus, non est cur Antiquorum placitis favemus; idcirco eisdem inhærentes, quæ ex Dominico Genitore nostro de calido innato alias protulimus, quomodo ex ejus principis probari possit manifestum faciamus.

ADNOTATIO V.

AD calorem igitur animalium modo intendendum, modo remittendum, non ea solum concurrunt, quæ ab ipsis pro sanguinea reparatione sumuntur, sed alia quoque ab extrinseco profus, a quibus non spernendæ in animalium corporibus mutationes contingunt. In his primas tenet aeris constitutio, quæ varia est variis anni tempestatibus; constat quippe hyeme frigidissimum aerem esse, æstate calidissimum, temperatum tum vigente vere, tum autumno adulto. Hujus autem aeris quanta sit actio in ani-

malium corporibus, non est qui non experiatur: nam frigidus aer, cum cutis poros coarctet, perspirationem cohibet; contra, hanc promovet calidissimus aer, illos referendo. Præterea alia ab aere repetenda, præsertim ope respirationis, utpote minus, aut saltem non proxime ad rem nostram facientia; in respiratione tamen perspiratio ipsa respicienda est, quæ ab halitibus una cum aere e pulmonibus reduce, permixtis absolvitur, copiosioribus quidem aere existente calido, quam frigido. Cum autem hyeme aer, plusquam aliis tempestatibus, rigeat, obque id cutis pori contrahantur, perspiratio quælibet valde imminuitur, quamobrem materiam perspirationis in corpore retineri oportet. Hæc autem, quamvis universim tenuissima sit, duplicis tamen generis potest considerari, alia quæ cogi in humorem quandam sensibilem possit, atque alia, quæ non solum tenuitatem, sed volatilitatem etiam nacta, partium inter se nexum, quantum per ipsam est, respuat, nec nisi in mixtione perfecta obtineat, a qua semel liberata, quæ data porta erumpere indefinenter nititur. Prima aquea potissimum est, salibus fixis imbuta, faciliorem concretionem in humorem sensibilem adjuvantibus; alia ad salia volatilia, æthereumque sulphur, vix copulato humore aqueo in tenuissimum vaporem diffilato, redigitur. Illa non unicam pro sui eliminatione proportionatam invenit viam, nam ad renes maxima parte appellens, sub lotii forma educitur, non exigua portio per intestinales glandulas ad intestina amandatur, alia per salivam, per gastricas secretiones, perque id census alia emunctoria sanguinis consortium deserit; quæ demum ætenuior pars est, nec adeo facile cogenda, aere etiam rigido existente, a spirituosis abrepta, per transpiratum e corpore deturbatur, imprimis vero per illam perspirationem, quæ pulmonum

ope absolvitur, cum in pulmones immisissus aer temperiem, ac tepiditatem quandam adipiscatur, unde insensibiles pulmonum meatus non adeo arctantur, quemadmodum qui corporis ambitum tenent.

At spirituosa pars, naturam redolens ætherei sulphuris, & volatilium salium, cum non possit, ut aqua, cohiberi, semper per cutis, pulmonisque insensibiles meatus evolat, magis minusve, prout aer, cujus constitutioni dictorum meatuum apertura respondet, aut calidus est, aut frigidus. Cum igitur effluvium sulphureo-salium volatile (idem enim est, ac spirituosa perspirationis materiæ pars æthereo sulphure, & volatilibus salibus constans) pro majore, minoreve porum cutis hiatu copiosius, vel parcius e corpore effluat, cumque tempestate rigida, scilicet hyeme, ii contracti maneat, consequens est, ut hyeme dictum effluvium copiosius in corpore retineatur. Atque ex hoc fortassis non tam caloris gradus major est ad interiora, quam ejusdem, melius dixerim, effluvi eundem producentis effectus majores emergunt, in quibus cum ille cæteros facile antecellat, scilicet ut sanguis valido intestino motu agitetur, proptereaque fluidus, solutusque, ut decet, detineatur, atque adeo in sanguineo sero quælibet necessaria ad quaslibet secretiones minimo negotio solvi possint; ita porro si ad primam digestionem, quæ in ventriculo, & intestinis perficitur, oculos convertamus, opus esse apparebit; ad eas facientes succos (neque enim est, cur gastricis, & intestinalibus liquoribus dissolvendi quandam vim denegemus) & perfectæ indolis esse, & valde activos. Quod si alteram animadvertamus digestionem, quæ, quemadmodum in universis sanguineis vasis, potissimum vero in majoribus arteriis, in corde, & in pulmonibus, scilicet in thorace, conficitur, cum ad chyli in-

fanguinem conversionem inter cætera actio effluvi sulphureo-salini volatilis in sanguine ipso existentis chylo immediate applicita, & motus tum cordis, & arteriarum, tum respiratio maxime conducat, ita porro illud copiosius intra corpus retentum, adeoque in majore quantitate existens in sanguine, majorem chyli efficit dissolutionem. Cum vero sanguinem valido, ut diximus, motu exagitet, valdeque atterat, ideoque ad convenientem perducat fluiditatem, oritur, ut non secus ac aliæ secretiones, quæ perfectioris naturæ, promptioresque absolvuntur, illa etiam spirituum animalium, quæ in cerebri cortice fit, perfectior, promptior, activiorque eveniat; unde universum nervorum genus magis ætatur, & quidquid inde consequitur majorem adipiscitur energiam. Fibra igitur omnis generis magis elastica evadit, suisque obeundis motibus promptior, potissimum vero quæ muscularis est, in cujus censu venit cordis substantia, & media arteriarum tunica. Fiet ergo cordis, & arteriarum motus vegetior, & respiratio ipsa liberior, validiorque evadet. Ob id ipsum, in prima quoque coctione, carnosæ ventriculi, & intestinorum tenuium tunicæ actio erit expeditior. Et jam satis probasse confidimus causas, præcipuas saltem, tum conversionis ciborum in ehylum, tum hujus in sanguinem activiores esse, regulariter semper loquendo, cæterisque paribus existentibus, hyeme, quam æstate: unde consequentiam trahere licet, coctiones omnes perfectius, citiusque absolvi, ac propterea alimenta per eam tempestatem copiosa esse exhibenda, ne materia deficiat, in quam præfatæ causæ suam actionem exerant; alias illud idem consecuturum erit, quod de illis, qui corpore crescant, in superiore Aphorismo affirmavit Hippocrates, & nos in adnotationibus ad eundem nostro systemate probavimus, videlicet

fore ut convertantur ad corporis assumptionem.

ADNOTATIO VI.

Non abs re profecto dubitare quis possit, num ventres hyeme calidiores sint, quam æstate; contra enim facit specuum, & putealium aquarum observatio, in quibus licet hyeme tepiditas quædam deprehendi videatur, & æstate non ignobile frigus appareat, revera si thermometro explorentur, calidiores æstate, quam hyeme deprehenduntur. Multo etiam apertius id fit intromisso thermometro in animalis cujusdam viventis apertum abdomen hyeme, iteratoque experimento æstate in alio ejusdem speciei, ætatis, magnitudinis, cæterarumque omnium sensibilibus conditionum animali, quandoquidem thermometri liquor ad multo majorem altitudinem sistere conspectus est æstate, quam hyeme ascendat: manifesto argumento, tepiditatem illam, quæ in terræ antris, atque in putealibus aquis hyeme manifestatur, & frigus, quod in eisdem æstate percipitur, nonnisi relativa quædam esse ad ambientis aeris constitutionem; hyberna namque in sepucubus, & putealibus aquis apparet tepiditas intensius est frigus, quam quod æstate in eisdem experitur: in animalibus autem citra omnem dubitationem intensior calor dignoscitur, quam hyeme. Atque hinc est, cur nos in superiore adnotatione dixerimus, non tam calorem animalium hyeme majorem esse ad interiora, quam caloris, seu potius effluvi sulphureo-salini volatilis calorem in animalibus producentis effectus majores hyeme, quam æstate esse, si illa tempestate copiosius, quam hac in corpore retineatur. Distinguendum propterea est inter calorem animalium proprium, & calorem eisdem ab extrinseco communicatum. Ille aut insitus est

est, & a foetus exclusione semper a sua producente causa recedens, semper etiam infringitur, aut est influens, qui nempe per sanguineam reparacionem jugiter restauratur, & major futurus est majore existente, in majore perturbato motu, ac exactius, diutiusque sensibilibus partibus applicito effluvio sulphureo-salino volatili, a quo excitatur, & qui ab eodem prodeunt effectus, in dictis circumstantiis majores esse debent.

Jam vero quoniam hyeme cutis, pulmonisque pori arctiores sunt, quam aestate, dictum effluviu[m] copiosius ad interiora debet retineri, & quoniam caetera etiam causa sanguinea dissolutio[n]is ea tempestate sunt valentiores, quam opposita, copiosius quoque a sanguinis crassamento debet exsolvi, & copiosius exsolutum majore perturbato motu cieri; & quia non tam patens hyeme via est ad ejus evolutionem, quam aestate, cum copiosius in corpore retineatur; sensibilibus idcirco partibus, intrinsicis vero potissimum, ubi externi frigoris actio non pertingit ipsum repercuiens, quemadmodum in corporis ambitu; & exactius, & diutius debet applicari. At vero calor ab extrinseco animalibus communicatus atmosphaerae calori debet respondere, cumque nullus hyeme, plurimus aestate communicetur, hinc hyeme proprio tantum calore gaudent animalia, aestate vero & proprio; & communicato ab aere ferventissimo. Propterea hic illi conjunctus, efficit, ut absolutus in animalibus calor aestate major sit, quam simpliciter naturalis. Sed quoniam aestate amplissima introeunti, pariterque exeunti patet via, idcirco effluviu[m] sulphureo-salinu[m] volatile, quo naturaliter animalium corpora donantur, libere effluit e corpore, & quamvis perturbatissimo actum sit motu, actionem tamen suam nec adeo intensam, nec extensam adeo potest exercere, quemadmodum hyeme, qua

tempestate parcum evolat, plurimum idcirco sanguineo crassamento, ad sui similem faciendam exsolutionem, tumque sensibilibus partibus diu, ac exacte, ad calorem in ipsis excitandum, applicatur; & proportionaliter caeteri effectus quoque, a nobis supra memorati, consequuntur. Et jam prorsus patet, quomodo verificetur, hyeme natura calidissimos esse ventres, & quomodo Aphorismus hic decimus quintus in sententia, quam tuemur, sit intelligendus.

ADNOTATIO VII.

Eadem prorsus consideraciones, quas relate ad hyemem fecimus, ad verum quoque pertinent, modo tamen de primo vere sermo sit. Profecto affines adeo sunt & natura, & effectibus, ut vix, ac forte ne vix quidem, inter se queant distingui. Tertium autem verum pari passu cum aestate, cujus constituit initium, procedit, ideoque cum eadem merito conjungi potest. Peculiarem mehercle animadversionem exposcit secundum verum, quo vix credi posse videtur, ventres natura calidissimos esse, eandemque hyemis sequi constitutionem. Enim vero perspirationem adauctam esse fateri oportet, non admodum tamen, ideoque non tantum certe effluviu[m] sulphureo-salinu[m] volatile animalium calorem faciens in eorundem corpore retineri, verum nec ipsi prorsus via patet, quemadmodum aestate, ad evolandum. Cum autem vigente vere universa Natura in motu se promat, ejusdem rationem animalium peculiaris natura sequetur; intestinus ideo humoru[m] motus celerior, & intensior erit, quo posito, facile est dignoscere, ab intensione suppleri, quod in extensione amittitur. Opus igitur est, effluviu[m] sulphureo-salinu[m] volatile, quod in animalium corpore retinetur, licet non tantum sit, quantum hyeme, perturbat-

batiore tamen motu cieri, atque adeo validius agere tum ad sui similem e sanguineo crassamento exsolutionem. parandam, tum ad actionem suam in solidas quasque partes exercendam, ideoque ad majorem in sensu præditis partibus calorem excitandum, majorem scilicet intensiōne, non extensiōne, & ita quidem, ut intensio aucta in deficientis extensiōnis locum subrogetur. Hyeme propterea, propter multitudinem effluvi sulphureo-salini, vigente vere, propter ejusdem vim, ventres in animalibus æque circiter calidi existunt, ideoque calidissimos & hyeme, & vere non ineunte solum, sed etiam vigente cum Hippocrate affirmamus. Quod vero in superiore adnotatione diximus, de hyeme verba faciendo, scilicet non tam calorem, quam effectus provenientes ab effluvio sulphureo-salino volatili calorem in animalibus producente majores esse illis, qui æstate ab eodem emergunt, idem prope modum, eademque ratione asserere licet de vere vigente, quo cum præfatum effluviū, etsi non nihil sit minus, majore tamen perturbato motu cieatur, valens æque est, ac hyeme, ad sanguinem in debita solutione, & motu detinendum, unde secretionēs omnes apposite perficiuntur. Succī propterea gastrici vividissimi sunt, & spiritus animales maxime energetici, ideoque fibræ omnes integro suo elatere gaudentes, quæ nervæ ad sensus eliciendos promptiores, quæ carneæ ad suos exercendos motus expeditiores existunt.

ADNOTATIO VIII.

Somnos hyeme, & vere longissimos esse, sola observatione ductus, ut opinor, affirmat Hippocrates; & quidem experientia docemur, diutius protrahi somnum dictis, quam cæteris anni tempestatibus. Hac autem est utitur assertio pro antecedente ad con-

sequentiam eliciendam, videlicet per ea tempora copiosiora exhibenda esse alimenta; sicuti aliam de naturali ventrum caliditate illis eisdem temporibus assertionem hypotheticè sumpsit ad eandem trahendam consequentiam: particula enim *quare* manifeste est illativa. Hoc autem pacto mihi videtur Hippocrates argumentari. Per ea tempora cibus plurimus est offerendus, quibus ventres, ob plurimam calidi innati præsentiam, calidissimi sunt, & somni longissimi: Sed hyeme, & vere calidissimi ventres sunt; plurimus enim tunc calor innatus adest, & somni longissimi. Ergo pluribus egent alimentis, ideoque alimenta copiosiora sunt exhibenda, scilicet copiosiora quam cæteris anni tempestatibus. Hyeme, & vere, etiam vigente, calorem innatum plurimum esse, atque adeo calidissimos esse ventres, quæ licuit per sententiam nostram ratione probavimus; restat probandum, somnos longissimos esse, simulque onus incumbit ostendere, quomodo ex hoc fluat consequentia, quam trahit divinus Senex.

Jam vero somnus nihil aliud esse videtur, nisi ad quoddam tempus interceptio exercitii sensuum exteriorum, eorumque motuum, quos vocant animales. Ea autem nullatenus contingere potest, quoties partes externis sensibus inservientes, & quæ animalibus motibus obeundis a Natura destinatae sunt, probe sint actuatae: ex hac enim actuazione promptitudo immo potius habetur ad sensus eliciendos, & ad liberos exercendos motus imperantis voluntatis arbitrio. Cum autem actuatio hujusmodi a copioso spirituum animalium affluxu ad easdem partes dependeat, quoties eorum in has uber provenus fuerit, sensus eliciuntur, & ad motus animales exercendos celer, & expedita erit pro voluntatis nutu facilitas. Contra hebetes illos esse, hos segnes evadere necesse est, si ob imminutum spirituum affluxum leniter fuerint actua-

ctuatæ partes. Si vero tanta fuerit eorum inopia, ut hæ veluti flaccescentes concidant, suoque destituantur tono, profecto enunciatam sensuum, motuumque animalium interceptionem, somnum videlicet, evenire oportet. Porro somnus alius naturalis est, alius præternaturalis, hujusque varii gradus, variæque differentiæ plures inter se diversos morbos constituunt, soporiferos appellatos, de quibus plura aliter proferre oporteret, ac de naturali somno, si de eisdem dicere nostrum hic esset; sed quoniam in rem nostram facit solum quæ ad somnum naturalem spectant breviter perstringere, ideo ad hunc sermonem nostrum contrahimus. Somnus igitur naturalis tunc contingit, quando animalia diu vigilantia corporis exercitiis, & Homines assiduis præterea cogitationibus, atque meditationibus defatigati, spirituum animalium non ignobile dispendium fecerunt; cumque hi ad internas partes affluere semper debeant, ad viscera nempe vitalibus, & naturalibus facultatibus dicata, sive id Natura exposulante contingat, semper provida ad summe necessaria conservanda, minus de illis sollicita, quæ vel minus necessaria sunt, vel commoditatis gratia fabrefecit; sive quia ignotum adhuc nobis artificium in cerebello conditum fuerit, per quod indefinenter diæi animales spiritus in tanta copia secernantur, quanta sufficere potest ad semper commovendum cor, & arterias, cæterasque partes omnes, quibus vitales, & naturales functiones concreditæ fuerunt; sive quia ipsa naturalium, & vitalium organorum structura id postulet; sive alia qualibet de causa; opus propterea est, ut, facta insigni eorundem spirituum jactura, tanta fiat in cerebro ipsorum secretionis inopia, ut partes ab eo derivatæ in requisita ad agendum tensione nequeant detineri, ideoque quasi dixerim concidant, suisque certe muneribus in actu, ut ajunt, se-

cundo obeundis impares reddantur. In promptu eni statim fomnus, tandiu duraturus, donec universum nervosum genus eam recuperet spirituum copiam, per quam & sensuum externorum organis, & musculis animales motus exercentibus vigilantium propria agendi alacritas restituatur.

At spirituum quantitatem, ad dictam nervosi generis actionem necessariam, tanto serius obtineri oportet, quanto difficilius ab eorundem promptuario possunt depromi. Cum autem hyeme humores omnes lentescant, sanguis quoque majorem quandam præferret consistentiam, quam æstate, cæterisque calidis anni temporibus. Hinc ad ipsum solvendum major exposcitur vis, nec nisi diutina actione ab ipso exsolvi potest quidquid necessarium est tum ad quaslibet secretiones habendas, tum vero maxime ad illam obtinendam spirituum animalium: sunt enim hi volatilissimæ ejusdem naturæ, ut per summam tantum sanguinis attenuationem ab ipso elici queant. Licet autem effluvium sulphureo-salinum volatile, a quo præ cæteris enunciata sanguinis solutio fit, majore quantitate hyeme retineatur in corpore, quam æstate, ideoque in eadem quodammodo proportionem censi possit ad sanguinis restituentiam hyeme, qua æstate gaudet, diutius tamen applicari oportet, cum nullum ab extrinseco auxilium suscipiat calorem, quemadmodum æstate. Hinc quoties defatigata animalium corpora hyeme, quæ multo majores sustinere labores valent, quam æstate, ad eam deveniunt spirituum animalium inopiam, ob quam in dormiendi necessitatem conjiciuntur, profunde, diuque in somno permanere opus est; longum enim requiritur tempus, quo facta spirituum jactura reparari possit, ut decet ad rursus animal actuandum, unde expergiscatur. Eodem prorsus, ut de calore dictum est,

ratiocinio discurrendum est quo ad primum ver. Sed vere vigente, quo effluviū sulphureo-salinum volatīle majoris intensiōnis esse statuimus, quam hyeme, & ita quidem ut intensio aucta imminutæ extensioni possit quodammo- do æquiparari, illud etiam asseri posse videtur, non tantæ tenacitatis sanguinis consistentiam esse, ut diutina adeo ejus effluviū applicatio requiratur ad prompte obtinendam datam sanguinis solutionem. Constat namque vigente vere naturam omnem in motu esse, & veluti, ut ita dicam, rejuvenescere, omniaque vitam quandam habentia, vegetabilia præ cæteris, nescio quam mollitiem adipisci. Verum illud quoque est animadvertendum, videlicet id quod non officit in exsolutione, maxime officere in puritate. Satis non est, animales spiritus facile, & prompte e penu sanguinis depromi, necesse præterea est, ad certam quandam puritatem naturæ eos perducere, per quam facile possint minimis glandularum corticis cerebri meatus subire. Quoniam vero humidum aqueum & ipsum majorem adipiscitur attenuationem vigente vere, quam hyeme, non eam tamen, qua libere per cutim possit erumpere; hinc multo plusquam ætate in corpore detinetur, ex quo fit, ut spiritus animales a sanguinis crassamento cæteroquin exsoluti coerceantur, nec tantam nanciscantur puritatem, quantam oportet. Certum autem est, vividissima suis obeundis operibus esse per eam tempestatem animalia, ideoque plurimam spirituum animalium jacturam facere, unde in profundum decidunt somnum. Nullatenus vero ab hoc valent excitari, nisi dīstorū spirituum restauratio contingat tum quo ad materiam, tum quo ad necessariam ipsorum formam, atque habitudinem, quæ cum brevi, ut diximus, absolvi nequeat, consequens est, ut somni vigente etiam vere sint longissimi.

Cum itaque, & hyeme, & vere non ineunte solum, sed etiam vigente somni sint longissimi, cumque ex communi Philosophorum, Medicorumque sententia coctiones plurimum perficiantur in somno, idcirco, quoniam hæc ad secretiones omnes habendas, illam vero præ cæteris necessariam animalium spirituum tandem diriguntur, causæ earundem actionum materiam requirunt, in quam agant. Licet autem id de prima, quæ in ventriculo cibariorum fit non jugiter exigatur, semper tamen necessarium est quo ad secundam, scilicet quo ad sanguificationem; nisi enim plurimus sanguini affunderetur chylus in novum sanguinem & ipsum perficiendum convertendus, causæ secundam hanc facientes coctionem in nimiam sanguinis dissolutionem impenderentur. Ne igitur hoc eveniat, unde consequi etiam posset, ut ad solidorum quoque destructionem tenderent, plura opus est alimenta offerre. Et jam ex integro probata nobis videtur aphoristica sententia.

ADNOTATIO IX.

Nulla enim vero ratio fuit, cur postrema verba *indicio sunt ætates, & athletæ* huic decimo quinto Aphorismo adjunxerit Hippocrates, nisi causa adducendi similitudinem quandam ab ætatibus, atque ab athleticis petitam. Equidem ab ætatibus quam apposite similitudo repetatur, declarant ea, quæ de ætatibus generationi proximis ad superiorem Aphorismum adnotavimus, quæque abunde sufficere nobis videntur ad hanc ipsam rem declarandam. Quod vero spectat ad athleticæ facili negotio expeditur; nam athleticæ, illi præsertim, qui ad gloriam in gymnasiis sibi capescendam, exercebantur, tot, eosque validos labores subibant, ut fieri non posset, quin tandem in eam virium resolu-

R
tio-

tionem inciderent, cujus causa & in profundum caderent fomnum, & summa virium restauratione indigerent. Quoniam vero ipsa eadem violenta corporis exercitia, sanguinem præter modum exagitando, insigniter attenuant, quamobrem plurimam sui jacturam patitur, non modo propter enormem transpiratum, sed etiam propter sudorem ipsum, qui copiosus profunditur, oportet idcirco, eos, qui maxime exercentur, plurimum ali, tum ut perperas sanguinis jacturas recuperent, tum ut novam ipsi sanguini materiem suppeditent, quæ eidem requisitam consistentiam restituant, & de se novam spirituum supellestem promerere fatis sit, unde vires denuo ad nova exercitia, novosque sustinendos la-

bores recreentur. Quia vero ad hæc plurimum facere effluviū sulphureo-salinum volatile, quod e sanguine extolvitur, non semel diximus, propterea, ut hoc idem effluviū in necessaria quantitate a sanguinis crassamento hauriatur, oportet sanguinem in athletic maxime multatum, per alimenta copiosa maxime reparari. Patet ergo, recte ab Hippocrate adduci pro indicio caliditatis ventrium hyeme, & vere, ac propterea necessitatis plurimi alimenti, ætates, & athletas, cum nisi eadem, similis certe, & pro cæteris circumstantiis, proportionalis habeatur ventrium constitutio regulariter in omnibus dictis anni tempestatibus, ac in pueris, in juvenibus, & in athletic.

APHORISMUS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert; maxime vero pueris: & aliis, qui tali victu uti consueverunt.

EXPOSITIO.

AB animadversione eorum, quorum ope conjectura assequi possumus, quam præcise diæta utendum sit, quo ad quantitatem offerendi alimenti, ut ægri victu, initio morbi instituto, viribus perdurare possint usque ad ejusdem vigorem, transit Hippocrates ad ea animadvertenda, quæ, relate ad qualitatem alimentorum, eandem conjecturam possunt perficere. Sermonem autem in hoc Aphorismo de febricitantium diæta instituit quo ad qualitatem, utpote febres inter humorales morbos frequentissimæ sunt, unde norma pro cæteris ejusdem generis morbis sumi facile potest. En connexio hujus Aphorismi cum superioribus, intentio Auctoris, ejusdemque intentionis ratio.

Duplicem continet partem, quarum primam sic probō.

Contraria contrariis curantur. Sed febricitantes siccitate laborant. Ergo febricitantes humidis curandi sunt. At vero in humidis remediis alimentum humidum annumerandum est. Ergo febricitantibus humidus victus confert tanquam remedium curativum.

Probatur minor prima argumenti.

Febris, juxta Antiquos, est conversio calidi innati in igneam naturam, in nostra vero sententia est præternaturalis constitutio, in qua sanguinis massa ultra consuetos Naturæ limites agitur. Sed ubi præternaturalis hujusmodi constitutio contingit, siccitas partium inducitur, uti consideranti patere poterit. Ergo febricitantes siccitate laborant.

Secunda pars sic potest probari.

In illis natus calor maxime excandescit, in quibus idem (idest in nostra sententia principium activum, probabiliter sulphureo-salinum volatile, a quo præcipuæ facultates, imprimis vero vitales, naturaliter maxima parte pendunt) summopere viget. Sed viget summopere in pueris, atque in illis, qui humidis uti consueverunt. Ergo facile in pueris, & humidis vesci assuetis febres excitat, & multam siccitatem inducit.

Major ex se patet. Minor vero probatur.

In illis maxime dictum principium viget, qui causæ ejus productrici proximiores sunt, & in illis, qui Natura veluti exposcente ad humidum sumendum alimentum alluciantur. Sed primum pueris, alterum humidis ali assuetis contingit. Ergo dictum principium summopere viget in pueris, & in illis, qui humidis ali consueverunt. In utriusque idcirco, tanquam consequens ex probatis fluens, humidus victus, si febre laborent, maxime confert.

Atque hic mihi videtur legitimus hujus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

PRo humido victu intelligendus est aut cibus multa humiditate referus, aut potiones maxima parte aqueæ.

ADNOTATIO II.

Juxta ea, quæ ad Aphorismum sextum adnotavimus, victus humidus febricitantibus conferre intelligendus est, prout est remedium morbo quo ad qualitatem proportionem suam respondens, ubi diximus, alterantia semper opponi morbo debere. Animadvertendum autem, Hippocratem non qualitatem ipsam morbi, sed ejus effectum considerare; siquidem febris morbus calidus est juxta Antiquos, in quorum sententia oriebatur a calore innato supra naturalem mensuram præternaturaliter aucto, & ad igneam quandam naturam evehto. Nos vero ex Dominico Parente nostro hinc hypothetice sumimus, febris naturam consistere in præternaturali, & adaucto supra consuetos Naturæ limites sanguinis partium motu, ex quo fit, ut vel statim, vel post aliquod tempus effluviū sulphureo-salinum volatile, quod indefinenter a sanguineo crassamento dissolvitur, diffunditurque ad omnes animalis partes, sicque, perseverante vita, perennem in eisdem calorem producit, copiosius exolvatur, & in motum adigatur majorem, quam ex consuetudine ipsius animalis natura exposcat. Cum autem de partium sanguinem componentium motu loquimur, dicimus de intestino, & ut vocant, agitative, non de circulari. Quicunque uberiorem hujus sententiæ notitiam exoptat, adeat ejusdem Dissertatiunculam de *Febris natura* inscriptam. Ex dictis, vel in Antiquorum sententia, vel in nostra, facile colligitur,

calorem præternaturaliter adauctum, vel naturam ipsius febris esse, juxta Priscos, vel, juxta nos, qualitatem esse ab ipsa febris natura emergentem; ideoque humida febribus non convenire per se: quæ enim febribus, ut febres sunt, conveniunt, si Antiquorum sententiam foveamus, frigida sunt, & quidem facultate, seu, ut dicitur, potentia, nequaquam vero humida. In nostra vero sententia conveniunt ea, quæ nimium sanguinis motum compescere valent. Humida igitur reduplicative sumpta eatenus febricitantibus conferunt, quatenus opponuntur qualitate sua effectui consecutivo caloris præternaturaliter aucti in qualibet febre vel statim, vel post aliquod tempus. Ubi autem calor supra consuetudinem viget, fieri non potest, quin humidum a corporibus supra mediocritatem ablegetur, quæ arida idcirco, in aucti caloris ratione, evadere necesse est: quamobrem huic ariditati occurrendum est humidis.

Porro in hoc tradendo præcepto mirum in modum accuratum se exhibet Hippocrates. Nam simul, & semel ex Antiquorum sententia, quam supponit, & amplectitur, morbum in sua essentia considerat, & præterea relate ad præcipuum effectum, adducendo febrium exemplum, quorum natura in qualitate sita est, & a qua novæ aliæ qualitates profiscuntur, quibus eodem remedio occurrit, quo ipsi febrim medela applicatur; sunt quippe humida omnia aut aquea, aut saltem basim aqueam habentia, quæ cætera eorum componentia soluta manent, & ad motum concipiendum parata. Humida igitur magis, minusve sunt frigida; nam aquea frigida sunt: propterea quando Hippocrates ait, victum humidum febricitantibus conferre, indicare vult, ut censeo,

considerandum esse victum in sua etiam qualitate, qua respondere debet morbo appropriato, scilicet, ut non modo qualitate sua sese opponat qualitati a morbo inductæ, veluti humidum est siccitati adversans, sed insuper naturæ morbi contrarium sit, si ea in quadam confiterit qualitate, veluti humidum ipsum est, quod, utpote etiam frigidum, morbis calidis adversatur. Tandem uno februm exemplo nos docet, quoties morbus essentiam suam in aliqua qualitate habet, remedia adhibenda esse, quæ morbi naturæ objiciantur, prætereaque considerandos esse effectus a morbo pendentes, quibus quoque sunt accommodanda: & siquidem illi ad qualitatum categoriam pertineant, hæc quoque inductis qualitatibus debent adversari. Sicuti autem victus ratio quo ad offerendi cibi quantitatem, quatenus aut inedia constituitur, aut de inedia participat, maximum est in acutis morbis tum præservativum, tum curativum remedium, quemadmodum in secunda ad octavum Aphorismum adnotatione ostendimus, ita alimentum, quod certis morbi temporibus concedi potest, quo ad qualitatem suam, tanquam remedium curativum considerandum est, ideoque naturam sequi debet aliorum remediorum medentium morbo, in quo ipsum instituitur.

ADNOTATIO III.

Licet Hippocrates affirmet, febricitantibus omnibus victum humidum conferre, non ideo consequitur ægrotis quibuscunque, in quibus febris aliqua observatur, humidum victum absolute esse propinandum, sed illis tantum omnibus, qui febris causa ægrotant. Accidit quandoque, ut in ægrotantibus febris exciteretur, quæ alius morbi symptoma est, quo casu, si victus sua qualitate siccus, aut alius naturæ ab humido conveniat, non

ideo tamen est mutandus in humidum, veluti si in acitico febris oboriretur. Animadvertendum vero in hisce casibus est, victum, nisi in humidum mutandus sit, in sua tamen siccitate esse moderandum, causa febris obortæ: huic namque humida convenirent; & ideo quidem aciticis non conveniunt humida, quia cum humido ægrotantes hujusmodi maxime abundant, a febre, quæ ad exsiccandum corpus tendit, non possunt adeo humiditates a primario morbo inductæ diffipari, ut solida ad ullam perducantur ariditatem, atque adeo humida sint in usum vocanda. Cæterum si illa illud posset, hæc profecto & convenirent, & etiam conferrent.

ADNOTATIO IV.

Pueri inducuntur in hoc Aphorismo, utpote quia febris valde subjiciuntur, ab eisdemque summe exsiccantur. Cum enim in ipsis natus calor maxime vigeat, licet, relate ad sensum, Natura providente, copioso humido attemperetur, tamen vel levi de causa, qui in illis calor est, excandescit, & febres producit, quibus obortis, humiditatem valde absumi oportet, quæ in Pueris admodum est tenuis. Facile ergo in siccitatem, & morbos calidos, ac siccos incidunt, cujusmodi phthisis antiquitus perhibebatur; quamobrem maxima victus humidi necessitas in febricitantibus Pueris relucet. Id ipsum ad assuetos victu humido uti facile est transferre: necessitate enim quadam ad vescendum rebus humidis a Natura invitantur ob calidum, & siccum, quod nacti fuerunt, temperamentum; quodque idcirco humida, & frigida postulat. Patet autem in hisce, si febris laborent, humiditatem facile dissipari, summamque induci siccitatem, eisdemque ad calidos, & siccos morbos proclives esse, ut de Pueris diximus.

Possemus hæc in ea, quam tuemur, Dominici Parentis nostri sententia explicare, sed quoniam id præstare facile censemus cuilibet, qui a nobis dicta de Puerorum innato calore

recte tenuerit, & plenam dicti Dominici opusculorum tum de Calido immato, tum de Febris natura notitiam habuerit, idcirco nos brevitati studentes hoc munere superfedemus.

APHORISMUS XVII.

Et quibus semel, aut bis: & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem est aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

EXPOSITIO.

SI quid pro recta diætandorum ægrorum ratione sedulam, attentamque meretur considerationem, id est perfecto quantitas alimenti discreta, sive modus alendorum ægrorum, aut distribuendi cibi in plures, vel pauciores vices. Jure igitur optimo Hippocrates, postquam ab Aphorismo decimo secundo usque ad decimum quintum inclusive ea consideravit, quæ ad conjecturam facere possunt pro stabilienda initio morbi quantitate cibi absoluta, qua ægri usque ad ejus vigorem viribus constare possint; in proximo autem superiore dixit de qualitate victus adhibendi in febribus, unde norma pro cæteris etiam morbis desumi potest; in hoc se convertit ad considerandam quantitatem discretam, sive mavis modum, aut partitionem alimenti offerendi. Hæc igitur connexio est hujus Aphorismi cum præcedentibus, & hinc eruitur Auctoris intentio, & ratio intentionis.

Duplici constat parte hic Aphorismus. Prima sententiam ipsam aphoristicam complectitur; altera animadversiones quasdam habendas recenset pro recto sententiæ usu.

Quoniam vero Aphorismus hic, meo quidem judicio, peculiariter refertur ad vires caufarum chylificantium; propterea sententiam ipsam sic placet probare.

Alimentum per singulas vices exhibendum debet proportio-

tionem habere ad vires caufarum chylicantium. Sed vires hæ perſæpe debiles ſunt. Ergo perſæpe non niſi exiguum alimentum ſingulis vicibus eſt exhibendum. Subſumo. Sed perſæpe etiam vires vitales aliquanto majus alimentum exigunt; hoc enim eſt earum remedium. Ergo quotieſcunque vires caufaram chylicantium debiles ſunt, vires autem vitales, ut conſerventur, multum exigunt alimentum, hoc in plures vices eſt dividendum.

Quod ſpectat ad alteram partem, quæ eſt *Condonandum eſt aliquid tempori, ætati, & conſuetudini*, res mihi videtur ſic brevi poſſe expediri.

Simili ratione ſe habent tempora, ætates, & conſuetudo pro quantitate diſcreta alimenti determinanda, ac pro quantitate abſoluta. Sed tempora, ætates, & conſuetudo ex adductis in Aphoriſmis ſuperioribus alterare non nihil poſſunt quantitatem abſolutam. Ergo etiam diſcretam. Ergo condonandum eſt aliquid tempori, ætati, & conſuetudini.

Et hic mihi videtur verus ſenſus hujus Aphoriſmi.

AD NOTATIONES.

ADNOTATIO I.

HAſtenus locutus eſt Hippocrates de quantitate cibi ægis exhibendi ab initio morbi uſque ad ejuſdem vigorem inclusive, quam per regulas generales ſtabilivit, primum morbi naturam tantummodo conſiderando, inde perſecit propoſita ab ipſo conjectura facienda, cujus præcipua fundamenta exaravit in decimo ſecundo Aphoriſmo relate ad acceſſiones, & conſtitutiones morborum, cæteraque in eodem comprehenſa, relate vero ad circumſtantias ab ægro peritas ætatis, & temporum anni in duobus ſubſequentibus. Quoniam vero qualitas etiam offerendi cibi conſideranda venit, id

circo hoc abſolvit munus, febrrium inter humores morbos omnium frequentiffimarum exemplum adducendo in ſuperiore decimo ſexto Aphoriſmo: neque enim præſtabat, ut de omnibus morbis diceret, quod hoc in loco extra propoſitum ſibi inſtitutum, & ſcopum erat. Nunc ad modum eorundem ægrorum alendorum ſe conſert. Modus vero hic præcipue reſpicit quantitatem jam ſtabilitam, & ad ſuam individuum rationem redactam; num ſcilicet aut tota una vice ſit exhibenda, num vero in plures dividenda. Conſiderandum propterea, inquit, & quibus ſemel, aut bis, & quibus plura, an pauciora particulatim offerre oporteat.

ADNOTATIO II.

Hippocrates, dicendo *quibus semel, aut bis &c. oportet offerre*, manifeste loquitur de morbis, in quibus aliqua cibi quantitas permittitur, excluditque propterea extremos morbos, peracutos videlicet exacte, qui omnimodam a cibo abstinendam exposcunt. His autem exclusis, reliquum est ut sub hoc Aphorismo cæteri omnes morbi comprehendantur, cujuscunque acutiei sint, sive etiam non acuti, cujuscunque celeritatis, illique demum omnes, qui instar acutorum, vel celerum tempora sua percurrunt; uno verbo, demptis exacte peracutis, morbi omnes humorales, vel continui continentes, vel periodici æque continui, ac intermittentes, vel breves, vel diuturni &c.

ADNOTATIO III.

Ly *semel, aut bis* nullo modo referri potest ad partitionem faciendam quantitatis absolutæ cibi exhibendi a morbi initio usque ad morbi vigorem, sed ad illam, quam per singulos dies offerre oportet, si per periodorum accessiones, aut per alia in morbis apparentia licuerit. Quoniam vero perraro fit, ut plusquam bis cibus ægris in dies fit propinandus, hinc postquam dixit *semel, aut bis*, non addit *terve*, quaterve, aut pluries. Nihil tamen prohibet, quandoque, si opus fuerit, in tres, quatuorve, aut plures etiam vices cibum partiri non possimus, eumque, ut dici solet, per epicrasim propinare, quemadmodum in illis faciendum contingit, quibus vel ob maximam virium universim spectatarum imbecillitatem, vel ob ventriculi vires peculiariter fractas, vel ob ipsius ventriculi subversionem, vel ob id census alia, repetitæ sæpius, sed prorsus par-

cæ alimentorum forbillationes potius, quam cibationes sunt imperandæ.

ADNOTATIO IV.

Hippocrates, subjungendo & *quibus plura ne, an pauciora particularum*, intelligit quantitatem absolutam singulis cibi partitionibus competentem, scilicet quanta debeat esse illa cibi quantitas, quæ singulis, & determinatis vicibus est exhibenda, vel semel in dies, vel bis, vel sæpius etiam ægros alere oporteat: certis enim vicibus copiosius idem æger quandoque erit cibandus, qui aliis vicibus paucius. Verba igitur enuntiata nullatenus ad plures, aut pauciores vices referri debent.

ADNOTATIO V.

In hoc Aphorismo censendus quidem est Hippocrates dicere de vicibus, in quas dividendus est cibus, tumque etiam de quantitate relate ad quamlibet ejus partitionem; de re hac tamen ipsa quidquam præcisè stabilire forte non potuit. Jure igitur dixit genericè *considerandum*. Et quidem primum consideranda est morbi natura, & essentia, eique proportionatus cibus est statuendus; inde vires ægri sunt respiciendæ, pro quarum indigentia modo augendus ille est, modo minuendus; mox quælibet alia attendi exposcunt, quæ vel morbi accessiones, & constitutiones aut indicare, aut variare possunt, vel ægrorum vires diversimode afficere; & plura id census alia, quæ recensere non vacat. Intantum itaque Hippocratis est, ea omnia esse animadvertenda, quæ in propositis hæctenus Aphorismis exposuit, ut pateat, non modo genericè, & absolute, sed etiam in singulos dies, & in quot vices divisus, & in quamquantitate singulis, certisque vicibus quomodo cibus sit propinandus. Hinc
ani-

animadvertimus, Hippocratem non dixisse absolute, considerandum num semel, aut bis, num plura, aut pauciora sint ægris offerenda, sed quidem & quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora &c., quo verbo quibus aperte satis, meo quidem iudicio, commonstrat, ægros considerandos esse in quibuscunque eorundem circumstantiis individuis & morbi, & virium.

ADNOTATIO VI.

Hippocrates Aphorismum hunc claudit dicendo *condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini*, quibus nonnulli Expositores adiungunt etiam regiones. Quo ad hoc autem dignum nobis animadversione videtur, facile de superfluitate accusari posse Hippocratem. Quid enim refert, fortasse quis dicet, ut moneat, *condonandum aliquid esse tempori, & ætati*, quando jam attendendas exposcit conditiones omnes, omnesque circumstantias, quas pro quantitate cibi ægris individualiter concedenda in superioribus Aphorismis exaravit? Porro in his præcise annumeravit & ætates, & anni tempora. Facile tamen ab hac accusatione liberari eum posse censeo; siquidem in superioribus Aphorismis ea consideravit tanquam alterantia absolutam propinandorum ciborum quantitatem, nunc vero tanquam alterantia quantitatem discretam tum quo ad vices, in quas dividi debet, tum quo ad quantitatem pro singulis vicibus statuentiam. Sic autem indicare voluit, eadem omnia, quæ pro absoluta cibi quantitate stabilienda considerare oportet, respicienda etiam esse in quantitate discreta determinanda; immo addidit consuetudinem, utpote eam, quæ ad discretam magis, quam ad absolutam pertinet quantitatem.

ADNOTATIO VII.

Pro consuetudine intelligere oportet nec quod vitiosum est, nec quod per vitium inductum, sed quod, Natura veluti exposcente, præter universalem cæteris hominibus competentem regulam, in more positum est, eo quia sibi peculiariter exposci videatur. Hinc consuetudo altera veluti Natura appellatur, videlicet peculiaris quædam natura assueti, per quam fit, ut Homo, qui rei cupiam assuevit, quæ ceteroquin communi hominum universitati convenire non solet, ea impune utatur. Cæterum quæ per vitium irreperunt, licet per aliquod tempus sine ullo sensibili detrimento a nonnullis ferantur, diuturnitate tamen temporis, quos pepererunt, morbos manifestant. In his autem non est quod ex consuetudine condonetur; immo quam perperam vocant consuetudinem, & merum vitium est, oportune decet corrigere. Verum quidem est, vitia non posse confestim eradicari, ac propterea sensim esse procedendum: nam in vitiis quoque, licet damnanda, aliqua tamen inducitur consuetudo.

ADNOTATIO VIII.

Non satis est, regulas habere a natura morbi petitas, de diætandis ægris, nec fontes conjecturæ capiendæ, pro eadem diætâ perficienda; oportet præterea scire, quomodo debeamus quantitatem cibi jam stabilitam offerre. Modus hic autem respicit divisionem ejus in partes, si opus sit, & quantitatem his singulis competentem.

Jam vero duo præcipue ad hujus divisionis rectam cognitionem nos ducere possunt. Alterum est accessionum tempus, gravitas, extensio &c.; alterum vero status primarum viarum, in

quibus cibi concoctio elaboratur. Verum illud æque ad absolutam, ac discretam diætæ administrationem facit, non item hoc. Nam (ut in nostra expositione indicavimus) persæpe contingit, ut gravia quædam ventriculo, & intestinis accidant in morbis, ob quæ, licet non valde tenuem quantitatem cibi possemus offerre, horum tamen causa, leviter sit agendum. Norunt equidem Medici, quam frequenter eveniat, præcindendo etiam a morbis primarum viarum, in aliis morbis cum materia, ut Priscorum phrasi utar, symptomaticas haberi ventriculi subversiones, ejusdem debilitatem, intestinorum levitatem, diarrhœas, varios alvi fluxus, atque hujusmodi alia, quæ sicuti alterant ciborum concoctionem, & chyli distributionem subvertunt, ita Medicum obstringunt ad cibi quantitatem in vices dividendam, quin etiam quandoque ad nutrientes sorbitiones potius, quam ad cibationes conceden-

das. Hac porro ratione succurrit universali ægri indigentia, simulque cavet, ne ventriculum, & intestina onerando, impurus chylus conficiatur, unde noxa universalis emergit.

Alterationi prædictæ non raro adjutrices manus præbent ætas, tempus anni, & consuetudo, sexus item, temperamentum, corporis habitus, errores prægressi, anni constitutio, atque id census alia, aliis in locis a nobis recensita. Rei hujus non leve, ut speramus, specimen exhibebimus in adnotationibus ad subsequenter decimum octavum Aphorismum in consideratione temporum anni, quo contenti, ab aliis examini subjiciendis superfedemus, ipsum magnum Magistrum nostrum imitati, qui cum in hoc Aphorismo indicaverit, condonandum aliquid esse tempori, ætati, & consuetudini, in eo, qui hunc subsequitur, de temporibus anni tantum verba facit, cætera omit- tendo.

APHORISMUS XVIII.

Æstate, & autumnò cibos difficillime ferunt: Hyeme facillime; secundum locum ver habet.

EXPOSITIO.

Dixit Hippocrates in superiore Aphorismo condonandum esse aliquid tempori, ætati, & consuetudini in diætandis ægris semel, aut bis, aut pluries, idest in quantitate cibi discreta ægris propinanda, quod relate ad vires chylicantes credimus nos a divino Sene pronunciatum fuisse. Suspiciendo prorsus, & miro doctrinæ ordine in hoc Aphorismo proponit effectus considerandos provenientes a causis chylicantibus, prout hæc a varia tempestate anni varia ratione possunt alterari: simili prorsus modo, ac Apho-

Aphorismo decimo quinto eadem anni tempora consideravit in ordine ad quantitatem cibi absolutam determinandam, ut ægri ab initio morbi usque ad ejusdem vigorem vitalibus viribus possint perdurare. Atque hæc est connexio hujus Aphorismi cum præcedente, hæc magni Coi intentio, & ratio intentionis.

Sententia aphoristica unica est, in tres tamen partes divisa, pro varia ratione temporum anni, quarum statim ac una probata erit, fluet ex se aliarum quoque probatio. Nos igitur probandum assumimus, æstate, & autumno cibos difficillime ferri, unde consequentia erui potest, tanquam corollarium quoddam, in plures vices cibum esse dividendum, & parce singulis vicibus esse ægros alendos. Ad assumptam igitur probationem accedimus.

Ex necessaria consequentia ab Aphorismo decimo quinto fluente, æstate, & autumno minimus est ventrium calor (ideest principium activum, quod in Homine est, cæterisque perfectioribus animalibus probabiliter sulphureo-salinum volatile, a quo præcipuæ actiones, potissimum vero vitales, pendent, minimæ est activitatis). Sed ab eodem principio causæ chylificantes maxima parte pendent, utpote provenientes a nutritione, & actuacione partium, quæ vitales actiones sunt. Ergo æstate, & autumno causæ chylificantes minimæ sunt activitatis. Subsumo. Sed quando causæ chylificantes minimam habent activitatem, cibi difficillime feruntur: neque enim potest, iis debilibus existentibus, magna cibi copia in laudabilem chylum converti. Ergo æstate, & autumno cibi difficillime feruntur.

E contrario probatur, hyeme cibos facillime ferri; & media quadam ratione secundum locum ver habere. Quod erat probandum.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Distinguit Hippocrates in hoc Aphorismo hyemem a vere, contra ac fecit in decimo quinto Aphorismo. Hujus diversitatis causam opinor, quia tunc considerationem suam dirigebat ad quantitatem cibi absolutam, ob diversas anni tempestates regendam, & respectu virium in universam, præsertim vero vitalium, conservandarum per totum morbi tempus usque ad ejusdem declinationem. Atque apposite quidem, quemadmodum ex nostris adnotationibus ad eum Aphorismum apparet; tanta enim est primi veris cum hyeme affinitas, tanta etiam effectuum similitudo secundo vere cum effectibus hyemis quo ad ventres universim sumptos, ut jure potuerit ver indiscriminatim cum hyeme copulare; quandoquidem quod reliquum est ver, tertium scilicet, optime æstati adnectitur. At vero in hoc Aphorismo, quoniam anni tempestatum animadversionem dirigit ad cibi partitionem vel in unicam, vel in plures particulas singulis diebus, quibus ægros alere convenit, ver ab hyeme distinguit, ubi ver secundum, seu vicens, est intelligendum. Cur autem Hippocratem id facere oportuerit, videamus.

ADNOTATIO II.

ITaque Hippocrates ait, æstate, & autumno cibos difficillime ferri; ex quo apertum fit, eum respicere peculiariter ventriculum, cæterasque causas chylicantes. Neque enim cibi tolerantia ab alio haberi potest, quam a ventriculo, dictisque causis ad ciborum in chylum conversionem agentibus: non quod ex cibi intemperantia cætera quoque subverti non possint;

revera enim ex nimio cibo frequenter observare contingit, præter aliam rationem, aut febres invalescere, aut pus ex ulceribus immodice scaterere, aut symptomata gravia in morbis emergere; verum id non ad quantitatem discretam, sed ad absolutam pertinet. Dummodo enim illa cibi absoluta quantitas servetur, quam ægro propinare convenit, vel ea unica vice exhibeatur, vel in plures dividatur, quo ad causas sanguificantes, cæteraque omnia in ægotantis corpore paragenda, præter chylicationem, perinde est. Non totus simul in sanguinea vasa vehitur chylus, sed gradatim, & successive, fluidamque formam nactus; & nisi ipse aut supra indigentiam fuerit, aut incongruæ naturæ, sicque evadat improporcionatus causis valentibus ipsum in bonum, & laudabilem sanguinem convertere, semper faciet pro opportunitate ad ea omnia, quæ ex eo elici debent. Non ita porro accidit de ciborum in chylum subactione. Cum enim cibaria brevi temporis spatio in ventriculum ingurgitentur, ibique omnia simul aliquanto diutius commorentur (præscindendo nunc a qualitate) si quantitas excederit vires ventriculi, & cæterorum eidem famulantium pro necessario chylicationis opere, ea profecto debent excitari, quæ gravem pariant tolerantiam. Hinc ab Hippocrate cibi æstate, & autumno difficillime ferri affirmantur, videlicet quia universim actiones omnes iis tempestatibus languidæ sunt, vitales vero imprimis, quemadmodum ex dictis in adnotationibus ad decimum quintum Aphorismum erui facile potest. Quoniam vero chylicatio, licet naturalibus actionibus annumeretur, a vitalibus tamen pendet, utpote quia tum motus ventriculi, tum secretio digestivorum succorum ejusdem ventriculi,

culi, & glandularum, a quibus feceruntur, aëuationi respondent, propterea ciborum etiam digestionem eandem vitalium actionum sortem sequi, necesse est. Cum autem superius probaverimus, dummodo absoluta cibi quantitas servetur, nullatenus posse alterari, si solam excipias chylicationem, quidquid in eodem ægro agendum est, consequens fuit, ut omnis intolerantia pertineat ad ventriculum, cæterasque causas chylicificantes. En igitur quomodo ex effectibus, sive potius ex phænomenis, ostendat Hippocrates, attendendas esse anni tempestates, ut expostulata cibi quantitas in plures dividatur partes, sicque chylicificantibus viribus accommodetur, pro ut hæc aut una, aut altera anni tempestate vividiores fuerint, aut segniores. Quantitas ergo absoluta ad individuam suam rationem redacta per præcipuas animadversiones faciendas quo ad naturam, sive essentiam morbi, ejusdem accessiones, & constitutiones, phænomena quælibet, aliasque ægri circumstantias, in suis tandem partibus est perficienda, si oportuerit, pro temporum anni varietate. Id ipsum ætati, & consuetudini applicandum est, & aliis quoque ab Hippocrate non enumeratis conditionibus, & circumstantiis regionum, annorum peculiarium constitutionum, cæterorumque in morborum curationibus præ oculis habendorum.

ADNOTATIO III.

Hisce generatim prolatis de relatione, quam cibi tolerantia peculiariter habet ad ventriculi, cæterarumque chylicantium causarum vires, onus nobis incumbit inquirendi cur Hippocrates in decimo quinto Aphorismo ver cum hyeme conjunxerit, ver intelligendo tum iniens, tum vigens, juxta nostram interpretationem; nunc vero ipsam ver, secundum scilicet,

naturæ cujusdam mediæ constituat inter hyemem, & æstatem. Ibi enim vero anni considerationem induxit relate ad quantitatem absolutam, qua cibandi sunt ægri, ut eliceret ad quamnam rationem variis anni tempestatibus ea sit redigenda. Quoniam, vero consideratio hæc magis, quam causas chylicificantes, univerlim respicit animalium calorem, coctionesque omnes, & in his sanguificationem præcipue, tumque ea, quæ a sanguine, aut immediate, aut mediate proficiuntur, & potissimum maxime necessariam spirituum secretionem, qua vel uberiore, vel majoris energiæ facta, vires etiam omnes, præsertim vitales vividiores emergunt; cum cuncta hæc tum hyeme, tum vere & ineunte, & vigente pari passu, quamvis diversis de rationibus, in integra sui perfectione absolvantur, ut eo in loco ostendimus; idcirco optime ver cum hyeme conjunxit. Verum in hoc decimo octavo Aphorismo, ubi eandem temporum anni considerationem ad examen revocat, sed relate ad quantitatem discretam cibi ægris offerendi, seu, quod idem est, relate ad partitionem absolutæ quantitatis jam constitutæ insuas, & requisitas vices, ac propterea respectu causarum chylicantium, ut ex superius dictis apparet, non minus sapienter ver ab hyeme distinguit.

Porro inter chylicificantes causas quæ omnium potissima censei facile potest, succus ille est gastricus, qui a ventriculi glandulis indefinenter eructatur, quique salivalis probabiliter, salinæ procul dubio naturæ est. Hunc mediæ cujusdam vis existere oportet vigente vere, inter summam, quam hyeme, & minimam, quam æstate habet. Nam cum vigente vere patetiores sint cutis pori, quam hyeme, arctiores vero, quam æstate, causæ autem solventes sanguinem æquales circiter sint hyeme, & medio vere, multo valentiores æstate; hinc quod

vigente vere supra hyemem e corpore per transpiratum effluit, ab aliis secretionibus demi oportet, & quod per eundem immodice erumpit ætate, in aliis deficere necesse est. Languidior igitur erit succus gastricus verno tempore, quam hyberno, sed vividior, quam æstivo; ac propterea aprior, quam ætate, segnior, quam hyeme, ad cibos in chylum subigendos. Accedit, ipsum propriam activitatem minuere, vel augere pro salium, quibus scatet, copia, & majore, minoreve attenuatione. Hyeme quidem copiosos eos admodum esse conjectari possumus, at minus attenuatos; contra ætate, parcos, sed attenuatissimos, vere demum mediæ naturæ. Nam cum causæ solventes sanguinem ætate maxime vigentes sint, & transpiratus copiosissimus, per eam tempestatem sales ipsi valde attenuantur, & ad volatilium subtilitatem perducuntur, unde copiose admodum ad cutim feruntur, ab eaque secedunt; hyeme vero quoniam perspiratio parcissima habetur, causæ vero solventes sanguinem non quidem validissimæ sunt, quemadmodum ætate, valde tamen valentes, valde etiam sales attenuantur, sed copiosi in corpore permanent; vere demum, quo causæ solventes sanguinem item validæ sunt, & forte validiores, quam hyeme, quamvis non adeo multæ, transpiratus autem aliquanto copiosior fit, succus gastricus pluribus, & magis attenuatis salibus scatet, parcius tamen, quam hyeme. At illud quoque est animadvertendum, succum hunc gastricum, quemadmodum cæteri id census omnes, eatenus suas vires exerere, quatenus in motum adigitur. Constat autem, ipsum vividius moveri vere, quam ætate, languidius, quam hyeme: nam motum a ventriculo potissimum obtinet, a quo utpote validissima vi pollente hyeme, maxime, inertis profus ætate, lenissime, mediocri tandem vere, medio-

criter etiam agitur, & contra dissolvenda cibaria impellitur. Hiis igitur omnibus de causis, ea tota cibi quantitate onerandus non erit ventriculus unica exhibitione vigente vere, qua hyeme onerari potest, sed majore, quam tolerare queat ætate. Ita porro medium locum inter hyemem, & ætatem ver obtinet, ideoque quæ cibi absoluta quantitas ab aliis circumstantiis, quin ab eisdem anni tempestatibus relate ad vires corporis universas suadetur, ut ægri possint usque ad vigorem morbi perdurare, in plures vices ætate, in pauciores secundo vere, in adhuc pauciores hyeme est dividenda.

ADNOTATIO IV.

Quandoquidem Hippocrates in decimo quinto Aphorismo ver cum hyeme conjunxit, in hoc autem, quem præ manibus in præsentem habemus, decimo octavo, ubi dictas anni tempestates inter se distinguit, ætatem cum autumno copulat; congruum enim vero videri possit, postrema duo anni tempora sub una, eademque consideratione comprehendenda quidem esse quo ad absolutam cibi quantitatem statuendam, sive potius perficiendam, nullatenus vero quo ad cibi ejusdem partitionem. Veruntamen sapientissime hinc ab Hippocrate ipso autumnum cum ætate conjunctum fuisse deprehendemus, etiam in ordine ad cibum in plures partes distribuendum, quoties consideraverimus, quænam sit primarum viarum constitutio autumno, quibusque cibis tunc animalia vescantur. Supervacaneum autem duco monere, sub hac animadversione solum autumnum ad cultum cadere; tanta enim est incipientis cum ætate affinitas, & præcipitis cum hyeme conjunctio, ac naturæ similitudo, ut recte possit cum dictis tempestatibus jungi. Ad rem igitur accedentes, animad-

ver-

vertimus animalium corpora adulto autumno pluribus scaterere impuritatibus; tunc enim aer frigidiusculus factus transpiratui non modicum obijcit impedimentum. Interea assueta copia per ætatem perspirationi, cætera omnia emunctoria arcta adhuc, & contracta conservant, quæ idcirco prompte non laxantur ad illa admit-tenda, quibus per diutinum ætatis tempus fuerunt inassueta. Porro inter emunctoria excretionibus dicata, quæ omnium crassiores humores scernunt, excernuntque, illa sunt, quæ intestinale tubum occupant, cui merito ventriculus refertur; & si quidem in illum locum corporis prædictæ impu-ritates congregantur, certe in ventri-culum, & intestina. Patet igitur, suc-cos digestivos ejus activitatis esse non posse adulto autumno, cujus sunt hyeme, & vere; at nec majoris, quam æstate, & autumno incipiente: deficit enim tunc in qualitate, quod in-quantitate abundans est. Re ipsa oportet ætate, & autumno incipiente, co-piosissimæ perspirationis causa, ut cæ-teras secretiones omnes, sic illas gas-tricorum succorum parcas admodum esse. Hinc alvus humidam hyeme, sic-cam ætate communiter se promit; quod tamen fecerunt purum est, & defæcatum: animalium namque corpo-ra ab impuritatibus transpiratus ope liberantur. Id aperte in urinis mani-festatur, quæ ætate, licet parca, & aliquanto saturatoris coloris reddan-tur, perspicuæ tamen sunt, & putre-factioni ægre prorsus obnoxia.

Jam vero si ad cibos, quibus ani-malia adulto autumno vescuntur, considerationem nostram convertamus, eos mehercle deterioris naturæ repe-riemus. Nam si examini subjiciamus edulia, quibus bruta, & pleraque ani-malia utuntur; qualia videlicet a Na-tura proferuntur, hæc, præter legu-mina, quæ ejusdem naturæ esse con-jectari possumus omnibus & singulis

anni tempestatibus, vel herbæ sunt, vel arborum, stirpiumque folia, & frondes, vel fructus. Herbæ nonnihil quidem adulto autumno reviviscunt; at quanto deterioris conditionis, quam illæ, quæ vere et terra erumpunt? Nam nec adeo tenellæ, nec tanto succo sunt plenæ, adeoque duriores, & minus per-fectæ. Folia autem, & frondes stir-pium, arborumque, duræ, exsuccæ, & paulo minus quam ligneæ per au-tumnum evadunt, ut in præcipiti nu-tritiva facultate orbata folia ex arbo-ribus decidant, & ad putrescendum cum sordibus ablegantur. Demum fru-ctus, quorum præcipui ea tempestate sunt persica, poma, pyra, uvæ, alii-que id census vinosi, quot impuritati-bus scateant, norunt profecto illi, qui præsent vinariis cellis; ab eisdem enim expressus succus, sive mustum, in ea, quam patitur, fermentatione quantum subsidentiam in majoribus vasis, in quæ primum immittitur, & in doliis, in quæ inde reponitur, relinquat, si-ne ulla æquivocatione conspiciunt.

Plura enim vero ex his homines quoque pro cibo sibi comparant, vel qualia a Natura ipsa exhibentur, vel coctione, aliave ratione parata. Utun-tur præterea animalium carnibus, & aliis ab animalibus prodeuntibus, lac-tæ videlicet præfertim, & gallinarum ovis, hujusque generis, si quæ sunt, aliis. Sed quid est, cur eandem pro-portionalter sequi conditionem non debeant eorum, quibus animalia nu-trita fuerunt? Non latet equidem. Medicos, quantum discriminis inter lac, v. g. autumnale, & verum in-tercedat, quantumque aptum sit usibus, quibus dirigunt, vere, effectum autumno. A primo igitur ad ultimum edulia universim spectata deterioris naturæ esse oportet adulto autumno, ideoque ex hoc ipso fieri non potest, quin ventriculus, & cætera chyli-ficantes causæ, si ad ea eadem referan-tur, admodum infractæ considerari non de-

debeant, ac propterea ejusdem circuitu debilis activitatis, cujus sunt æstate. Unde recte cum Hippocrate affirmare possumus, indiscriminatim æstate & autumno cibos difficillime ferri.

His, cæterisque a nobis superius prolatis, mirum quantum ponderis addat autumnalis aeris inclementia, in-

constantia, atque inæqualitas! Jure idcirco Couis noster Magister tertio Aphorismorum nono affirmat, autumnano acutissimos, & exitiales morbos maxima ex parte fieri, quorum gravissimam, & lætuosam myriadem vigesimo secundo ejusdem sectionis Aphorismo recenset.

APHORISMUS XIX.

His, qui per circuitum accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adjectioni ante judicationes.

EXPOSITIO.

Quamquam plerique Expositorum sumunt Aphorismum hunc pro ultimo hujus sectionis ad diætandi rationem pertinente, mihi tamen aliter videtur, scilicet, ut æque cibi exhibitionem, ac remediorum administrationem respiciat, si de evacuantibus præsertim sermo sit; id quod indicavisse videtur etiam Mercurialis. Licet itaque complementum faciat doctrinæ de ratione diætandi ægros, inservit etiam, multoque magis, pro transitu ad aliam tractationem, quam de evacuatione instituit, & reliquis hujus primæ sectionis Aphorismis comprehendit. Patet ergo connexio hujus Aphorismi & cum præcedentibus, & cum subsequen- tibus, intentio divini Senis, & ratio intentionis.

Sententia autem aphoristica est: Illis in morbis in quibus per circuitus accessiones fiunt, nihil exhibendum esse ægris ante judicationes, eosdem cogendos non esse ad quidquam sumendum; immo potius de iis, quæ antea propinata erant, aliquid esse subtrahendum. Hæc autem sententia, etsi in plures partes scindi posset, quoniam tamen ad eundem finem tota collimat, sic unico contextu probanda videtur.

Ante judicationes Natura molitur id, quod ipsas debet ponere judicationes. Ergo ab hoc munere non est Natura

perturbanda. Subsumo. Sed quodcumque exhibeatur ægro eo tempore, sive alimentum sit, sive medicamentum, Naturam a dicto munere perturbat. Ergo ante iudicationes nihil dare oportet, nihil cogere, sed de adjectionibus detrahere.

Probatur minor subsumpta. Quidquid ægro propinari potest instantibus iudicationibus, vel alimentum est, vel medicamentum. Si alimentum; distrahit Naturam ab ultima materiæ morbificæ concoctione. Ergo eam perturbat a dicto opere. Si vero sit medicamentum; vel majorem conciliat motum, vel minorem, quam opus sit, vel aliam inducit qualitatem a requisita diversam, aliudve efficit ac Natura pro morbificæ materiæ concoctione. Ergo semper Naturam perturbat a suscepto suo munere.

Atque hic mihi videtur verus sensus hujus Aphorismi, qui ut de omnibus morbis humoralibus valere potest, ita vero vel maxime illis accommodatur, quorum accessiones per circuitum fiunt, de quibus peculiariter Aphorismus loquitur.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

IN hoc Aphorismo sermo fit de periodicis morbis, scilicet de illis, qui recursus accessionum habent stans quibusdam, & regularibus temporibus; non ita tamen, ut accessionum invasio eadem præcise diei hora haberi debeat, sed possit aut antevertere, aut postponere, dummodo certa quadam, & regulari, sive ordinata lege, ita ut per æqualia, sive saltem proportionalia tempora antecessio, vel postpositio eveniat: quibus quidem in morbis altero; aut ad summum tertio accessio- num adventu observato, earundem extensione, incremento, acerbitate, aliisque quibuscumque a Medico observatione dignis pensatis, de futuris accessionibus quid futurum sit, ipse partim certo, partim probabiliter pro-

nuntiare potest. Cum igitur de periodicis, & regularibus morbis procul dubio Aphorismus loquatur, videndum est quid nomine accessionum in eodem sit intelligendum.

ADNOTATIO II.

QUoniam accessionum recursus in periodicis morbis tot veluti particulares morbi renovationes sunt, sive materiæ morbificæ recrudescentiæ, per quas regulares contingunt exacerbationes in morbis periodicis vocatis; idcirco juxta ea, quæ in hanc rem ad Aphorismum undecimum adnotavimus, pro accessionibus intelligendi veniunt particulares paroxysmi, comprehendentes peculiarium circuituum initium, incrementum, & vigorem, sive statum; in hoc tamen arctiore signifi-

catione sumenda videntur accessiones de statu præcise singularum periodorum, cum illud sit peculiare tempus, quod iudicationes, siue crises antecedit, & in quo crises ipsæ præparantur, siue proxime a Natura elaborantur; ait namque divinus Senex, in dictis accessionibus nihil dare oportere, nihil cogere, sed adjectioni subtrahere ante iudicationes.

ADNOTATIO III.

DUm Hippocrates affirmat, iis, qui per circuitum accessiones habent, nihil dare oportere, animadvertimus, non eadem phrasi ipsum uti, qua usus fuit in undecimo Aphorismo, ubi dixit, *in accessionibus abstinere oportet*, eisdemque prorsus verbis id ipsum in eodem Aphorismo repetivit de accessionibus, quæ per circuitum fiunt. Observo autem, licet verbum *abstinere* proprie dicatur de cujuslibet negatione, peculiariter tamen, & veluti per antonomasiam referri ad abstinentiam a cibo, & potu, vel ab eorundem alterutro. Hinc parce viuentes, & jejunantes, dicimus esse abstinentes, & abstemios vocamus eos, qui pro potu vino non utuntur. Cum itaque Hippocrates non dicat in hoc Aphorismo *abstinere oportet*, sed quidem *nihil dare*, necesse est, ipsum quid distinctum hic intelligere ab eo, quod voluit in Aphorismo undecimo, ubi cum subjungat, *nam cibum dare nocuum est*, manifeste demonstrat de diætandi ratione tunc locutum esse. Verum non una Aphorismi particula sufficit, ut probabilem Hippocratis intentionem eruamus.

ADNOTATIO IV.

Postquam igitur Hippocrates dixit *nihil dare oportet*, subdit *neque cogere*, de quo verbo alia alios divinari potius, quam recta ratione pro-

ferre mihi videtur, ut Commentatorum scripta legentibus perspectum esse potest. In id tamen conveniunt omnes, quos vidi (nec ipso Mercuriali dissentiente, qui cæteroquin superiora verba *nihil dare* interpretatus, ea ad medicamenta extendit, quin de eisdem proprie magis, quam de cibo dici pronunciat) conveniunt, inquam, ut censeant cogendos non esse ægros ad cibum sumendum neque a Medico, neque ab Adfistentibus, neque si cibum recusent, neque si non retugiant, & non solum accessionum tempore, sed etiam in earundem declinationibus, immo in apyrexiiis ipsis unam, alteramque accessionem intercedentibus, quemadmodum nonnullis placet. At vero, qui unquam fieri potest, ut is, qui recta utatur ratione, Medicus vero imprimis, cogat ægrum ad cibum sumendum? Quandoquidem sæpè immo contingit, ut ægri nimis cibo indulgentes convenienti diætâ sint compescendi. Opus igitur est, verbum illud *cogere* aliud aspicere, quod ad cibum non pertineat. Ego profecto in ea sententia sum, frequenter fieri posse, ut ægri cogantur a Medicis, multo autem sæpius ab Adfistentibus, de præceptis a Medico nimium quandoque sollicitis, ad ea sumenda, quæ ipsis in ordine ad ipsam morbi curationem, scilicet quo ad remedia, præscripta fuerint. Licet enim optima medendi methodus exposcat, ut quando Natura crisis parandis intenta est, ab hoc opere nullatenus perturbetur, & qui medicinam faciunt undequaque absolutam, præceptum hoc præ oculis semper habeant; Medicorum tamen vulgus, eorum videlicet, qui non admodum exacte tum morborum universim, tum eorundem peculiarium accessionum tempora distinguunt, instat quandoque, & ægros obstringit ad ea sumenda remedia, quæ optime instituta, præter rationem tamen est, inopportu-

no tempore, quale illud est vigoris quarumlibet accessionum, prosequi in dose instituta (pejus si in majore) usurpare. Id a recta medendi ratione abesse inferius probabimus. Interea teneamus ly *cogere* non tam referendum esse ad cibum, ad quem capiendum nemo est (si nonnullas excipias mulierculas timentes semper, sed semper immerito, de futuro ægrorum languore) qui non videat, nunquam esse cogendos ægros, cum ipsum Naturæ quadam providentia reculent, quemadmodum in ægrotantibus brutis observare in dies est, quam ad medicamenta, quæ & ipsa instantibus crisis, vel absolute, vel plusquam decet propinata, Naturam a critico motu possunt perturbare.

ADNOTATIO V.

Quod ab Hippocrate adjungitur in fine Aphorismi, *sed subtrahere adjecioni ante judicationes*, significare credimus, non modo subtrahendam esse portionem cibi exhibitæ ante vigorem, quod cum universim docuerit Hippocrates de cujuscunque morbi vigore in octavo, & nono Aphorismo, extra rationem erat, licet magni momenti res sit, ipsam rursus hinc inculcare, sed præterea aliud multo majus, & necessarium importare. Quoniam igitur Aphorismus de periodicis morbis sermonem facit, in his autem periodi non adeo extenduntur, ut cibi exhibitio protrahi nequeat ad apyrexiam, aut saltem sub finem accessionum, potiore ratione intelligi eum debere de medicamentis autumamus, & præsertim de evacuantibus, de quibus in subsequenti Aphorismo aperte agit Hippocrates. Nam cum cibus apyrexia, aut saltem declinationis tempore exhibeatur in gratiam virium conservandarum contra futuram accessionem, tempore vero accessionis incumbat Medicus in remedium administratione, eorum præci-

pue, quæ conditiones possunt in sanguine ponere pro futura periodi crisi, ut eadem quantum fieri potest mitis contingat; crisis autem Naturæ recte operantis motus sit, ut ad subsequentem Aphorismum adnotabimus, profecto de iis, quæ propinata sunt, sive apposita, & (ut Hippocratis, sive potius eorum, qui Aphorismos in latinam linguam verterunt, termino utar) adjecta opus est detrudere in statu accessionum, quod idem est ac dicere ante judicationes, ne motus ille perturbetur, quo Natura tunc utitur ad noxium proportionatum reddendum excretorium poris, ut queat expelli, quod facile profus posset contingere. Et quidem quæ remedia vim habuere sive per se sola, sive inertes Naturæ vires augendo, materiam morbificam attenuandi, eamque emunctoriis accommodatam reddendi, per quæ est deturbanda, si diutius, quam par est, protrahantur, eum vim suam necessario profecutura sint, aut indigentia majorem conciliabunt motum, aut quid aliud efficient fecus ac expostulatur, vel vires plus æquo exsolvent, vel alia perpetrabunt, quæ semper mala existent. En igitur quomodo remedia jam apposita, sive propinata, vel ex toto, vel ex parte ante judicationes sint detrahenda, nulla autem alia exhibenda, nec ægros cogendos esse ad quodcumque vel in usum vocatum, vel quod adhiberi vellet, fumendum, ne a suo critico opere Natura distrahatur.

COROLLARIUM.

EX diætiis apparet, quantum Aphorismus hic decimus nonus a secunda undecimi particula distet. Nam licet utrobique de periodicorum morborum accessionibus sermo habeatur, undecimus manifeste refertur ad diætandi rationem, de qua etiam qui ipsum antecedunt, & subsequentur lo-

quantur; verum decimus nonus etfi accommodari potest ad diætandi rationem, deque eadem intelligi, ficque totam prima sectione comprehensam doctrinam de re hac complet, multo

tamen aptius ordinatur ad subsequentes, qui evacuationum negotium pertractant, & vigesimo præcise viam sternit, quemadmodum ex ejus adnotationibus fiet manifestum.

APHORISMUS XX.

Quæ judicantur, & judicata sunt integre neque movere, neque novare aliquid, si-ve medicamentis, si-ve aliter irritando, sed sinere.

EXPOSITIO.

Proposita ab Hippocrate in Aphorismo præcedente universali, ut censemus nos, regula spectante æque, ac ad diætandi rationem, de qua superius dixerat ad evacuationes quoque, de quibus imposterum dicturus est: ea autem cum statuerit nihil ante judicationes dandum esse, nihil cogendum, sed adjectioni subtrahendum in morbis, qui per circuitum fiunt: regulas traditurus de faciendis evacuationibus, quoniam scire ante omnia interest, quando evacuationes sint instituendæ, quando non; idcirco in hoc Aphorismo docet quando ab evacuationibus sit abstinendum. En igitur hujus Aphorismi cum antecedente connexio, en intentio Auctoris, & ratio intentionis.

Unica sententia est, quam sic probo.

Tunc nulla instituenda est arte evacuatio, quando potest vel crises perturbare, quæ integre absolvuntur, vel eisdem integre absolutis novos morbos inducere. Sed evacuatio arte instituta quando judicationes integræ absolvuntur, crises perturbat, instituta vero judicationibus integre absolutis novos inducit morbos. Ergo nulla instituenda est evacuatio nec quando integre judicationes absolvuntur, nec eisdem integre absolutis. Hæc autem consequentia, si recte perpendatur, Aphorismo ipsi æquivalet dicenti *Quæ judicantur, & judicata sunt inte-*

gre neque movere, neque novare aliquid, si ve medicamentis, si ve aliter irritando, sed sinere.

Cum major certa sit, minor probatur.

Vel evacuatio arte instituitur quando crises integre fiunt, vel quando prorsus sunt absolutæ. Si primum. Aut nimium sollicitatur Natura integre per se agens, & tunc tum vires admodum deijciuntur, tum inducitur in sanguine discrasia, aut alius ab instituto a Natura motus excitatur, quæ omnia crislm impediunt, quam per se integre Natura molitur. Ergo aut perturbatur Natura a suo critico, & integro opere, aut novus inducitur morbus. Si vero alterum. Cum educatur id, quod educendum non est, immo quo tempore nihil est educendum, profecto & vires præter modum pessundari oportet, & novam induci in sanguine discrasiam. Ergo novi morbi inducuntur.

Et hic legitimus sensus est, ut auguror, hujus Aphorismi.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

CUM ad prima hujus Aphorismi verba quæ *judicantur*, & *judicata sunt*, cætera omnia dirigantur, hæc nequaquam intelligi possunt, nisi prius perfectum habeamus, quid per illa indicare voluerit Hippocrates. Porro, consentientibus omnibus Commentatoribus, pro illis, quæ *judicantur*, & *judicata sunt* crises intelliguntur morbos solventes. Crisis autem græcum verbum est significans iudicium, quod metaphorice ad morborum solutiones translatum est, propterea quia æger, qui solutionem sui morbi expectat, in ambiguo manet, num solutio bona, aut mala futura sit, & siquidem bona, num integra, aut mutila, num perfecta, aut imperfecta &c., ideoque suspensus veluti permanet, quidnam de

ipso futurum sit, non secus ac ille, qui de crimine accusatus, processu jam facto, coram JUDGE stat, absolutoriam, aut condemnatoriam expectans sententiam. Atque id non ad ægros solum potest referri, sed ad ipsos etiam Adfistentes non minus de morbi exitu dubios, & sollicitos. Multa enim vero quo ad hanc similitudinem sibi fingunt Commentatores, quæ hic referre non vacat, nec est operæ pretium. Quidquid igitur de re hac sit, certum est, pro crisis intelligi ea, quæ latino sermone, item metaphorice, iudicationes dicuntur. At vero iudicationes, non nomine tenus, sed in sua natura consideratæ, nihil aliud tandem sunt, quam morborum sensibiles solutiones. Dixi autem sensibiles, quia non raro accidit in morbis etiam, quorum essentia consistit in humorum alte-

alteratione, solutiones contingere, quæ a Medico observari non possunt. Et tunc quidem sine ulla, manifesta scilicet, crisi solvi morbos dicere consuevimus.

ADNOTATIO II.

INter plures crissum differentias ab Auctoribus adductas, illa quoque habetur, per quam aut integræ dicuntur, aut non integræ. De integris autem hoc loco loquitur Hippocrates. At vero dubium oboriri potest, num pro integris crissibus illæ tantum intelligendæ sint, quæ completæ per evacuationes absoluntur, num vero illæ etiam, quæ per abscessus contingunt, dummodo ex integro, quarum discrimen hic non adduco; notum namque suppono ex medicis institutionibus. Galenus, caterique omnes, quos vidi, Commentatores censent, iudicationes intelligendas esse de morborum solutionibus, quæ per evacuationes fiunt. Galenus autem sex perfectæ crissis conditiones enumerat; quarum prima est, ut totus humor noxius educatur; secunda, ut noxius tantum, & peccans; tertia, ut per loca conferentia, & servata partis rectitudine; quarta, cum tolerantia, & conferentia; quinta, die decretorio; & sexta coctionis signis præcessis; quæ conditiones (si quidem omnes requirantur, quod nostrum non est expendere) profecto pro crisi perfectâ necessariæ sunt.

Ego tamen perfectam crissim ab integra distinguendam esse censeo; nam illam perfectam crissim iudico, quæ non modo integre solvit morbum, sed quæ præterea nec alium morbum affert, nec quidquam relinquit, aut facit, quod homini insensum esse possit, ita ut non modo morbus recedat, sed neque ullus remaneat timor aut recidivæ, aut novi morbi adfuturi; quando quidem integra crissis illa quoque esse potest, quæ per abscessum

contingit, cuius ope primus morbus omnino tollitur. Reipsa Medicus non raro adjuvices suas manus præbere debet Naturæ fegni ad eas etiam complendas crises, quas eadem per abscessum instituit. Quod adeo verum est, ut si podagricis v. g. aut vertiginosus affectus, aut pleuritis, aut alius quilibet internus, & periculosus morbus adveniat, podagra sive imminuta, sive prorsus retrocessa, Medicus conatus omnes exercere debeat ad materiam podagricam eo revocandam, ubi primum stabulabat. Porro, si distinguamus hoc pacto perfectam crissim ab integra, proclive erit conjectari, quid sibi voluerit Caus Senex, cum dixit *neque movere, neque novare aliquid.*

ADNOTATIO III.

QUamvis pro *ly movere* non pauci intelligant præcise purgationem per alvum, unde est ut *novare* dicant importare quidquid aliud, præter catarrhim, Medicus potest efficere: nihilo minus tamen de qualibet evacuatione intelligendum esse mihi videtur; quin etiam de quocunque, alio, quod criticum Naturæ morum, sive perfectum, sive imperfectum, dummodo integrum, obsecundet. Nam vel Natura crissim perfectam faciat per integram expulsionem e corpore ejus, quod morbum ponebat, atque ita quidem, ut non modo morbus solvatur, verum nec ullus alius morbus, etiam si minor, & in parte ignobiliore appareat, nec ullus maneat timor eventuri alius morbi; vel efficiat imperfectam, dummodo integram, & salutarem, per abscessum videlicet ad partem ignobiliorem, morbumque alium inducendo nullius periculi; nunquam debet Medicus remedium ullum administrare. Id quidem de crissibus perfectis adeo manifestum est, ut nulla opus sit probatione. Nos itaque dogmatis hujus veritatem evincemus, quando imperfecta

festæ accidunt, integræ tamen, & salutares crises.

Igitur perfectis contingentibus crisis, Medicus, si medicamentorum præscriptione calcaria veluti calcaribus adjicere vellet, vel ita ageret, ut nihil Naturam perturbaret a suo opere, sed istud solum augeret; vel ita ageret, ut Naturam eandem a suo opere perturbaret. Malum autem utrumque. Primum quidem, quia plus educendo, quam educere oporteat, præter virium exsolutionem, quam induceret, sanguinem insuper tota ea humiditate depauperaret, quæ supra indigentiam educeretur, illisque præterea omnibus, quæ pertinent ad supervacaneam evacuationem factam; constat nempe, quæcunque procedunt excrementitia inter se differre propter diversitatem, diversamque proportionem eorum, quæ aqua tanquam basi sua, & vehiculo soluta excrementitiorum humorum naturam constituunt: atque hinc necessario novus morbus advocari debet, aut saltem ad novum morbum proxima proclivitas, cum sanguini ejus portio deficiat, quod utile, immo necessarium existit. Quod ad alterum spectat, necesse est, ut instituta a Natura evacuatio minuatur, ex quo facile cognoscitur, nisi aliud, illum saltem morbum, ad cujus solutionem integris viribus Natura occupata erat, diutius fore protrahendum. Jam vero, si Natura intenta sit integris, & necessariis viribus ad morbum quandam solvendum non per evacuationem quandam, sed per abscessum, quoniam motus isti, utpote Naturæ inasueti, & intra corpus veluti occulti, noti esse nequeunt nobis, ut possunt illi, qui per consuetas excretiones exercentur; præterea fit, ut tanto magis a quocunque medicamento exhibendo nobis sit abstinendum, ne quod critice, licet imperfecte, a Natura absolvitur perturbetur, ex quo non modo fieri possit, ut antecedens morbus persevera-

ret, sed etiam novus emergeret, vel æque, vel magis etiam gravis, aut periculosus.

ADNOTATIO IV.

EN igitur quam jure Hippocrates addidit *neque novare aliquid*, nimirum significare voluit, Naturam integre judicantem distrahendam non esse, sive sollicitandam, non solum, quando perfecte agit, sed neque quando imperfectas morborum efficit solutiones. Ita porro cautum Medicum reddit, dum videt ex unius morbi solutione alium consequi, dummodo hic in ignobiliore parte emergat, & vitæ insensum non sit, ne nova curatione statim novum morbum aggrediatur; posset enim fieri facile, ut novi morbi solutionem tentando, potius quam hæc contingat, alius oboriretur morbus aut gravis æque, sive periculosus, aut gravior etiam, sive periculosior. Nihil igitur movendum est juxta Naturæ intentionem integre, & perfecte operantis, nihil novandum adversus eandem Naturam quamvis imperfecte, integre tamen judicantem.

ADNOTATIO V.

QUæ in Aphorismo supersunt verba, scilicet *sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere*, referenda sunt ad novationes, quas censemus nos Hippocratem prohibere, Natura integre quidem, sed imperfecte criticum opus absolvente. Non solum enim pharmaca quælibet vel evacuantia, vel alterius generis non sunt propinanda, sed nulla quælibet alia agenda, etiamsi extra pharmaceuticum chorum sint, quæ Naturam possint alterare: scilicet nec sanguinem mittere oportet, nec frictiones facere, nec balnea usurpare, nec hypocausta parare, nec vescicatoria apponere, nec fonticulos inurere, nec id census alia peragere, quæ licet

per accidens quandoque pro voto possint evenire, plerumque tamen ita Naturam exagitant, talesque inducunt in humoribus motus, ut Natura ipsa veluti irritata contra miserum ægrotantem convertatur, & grave consequatur detrimentum, quemadmodum apud Galenum ei contigisse legimus, qui balneum ingressus ut salutem quæreret, vitam cum morte commutavit. Oportet igitur sinere, nimirum totum opus Naturæ concredere, quæ etiam si morbos per abscessus judicando imperfecte agat, tamen si id integre faciat, salubri ratione quod totum oportet absolvit.

ADNOTATIO VI.

Quanquam quæ hucusque diximus de iis, quæ integre a Natura judicantur, facile transferri possunt ad integre judicata; quoniam ta-

men hæc velle insuper medicari impossibile est, quin etiam præter omnem rationem, minime propterea credendum est, Hippocratem imprudentes adeo supposuisse Medicos, & alios quosvis, ut medicinam faciendam esse putarent ei, qui a morbo integre, & perfecte evasit, cuique nullus pavor habendus est de recidiva, aut alio quolibet morbo adventuro. Quamobrem restat, ut relate ad ea, quæ integre judicata sunt, Aphorismus intelligatur tunc solum, quando solutiones integræ quidem sunt, sed imperfectæ, sive per abscessus, quibus, recenter saltem, factis, nihil movendum esse, nihil novandum sive medicamentis, sive aliter irritando ad rei veritatis normam, ideoque, ut censemus, ad mentem Hippocratis, in superioribus adnotationibus probavimus. Ergo sinendum.

APHORISMUS XXI.

Quæ ducere oportet, quo maxime Natura vergit per loca conferentia, eo ducere.

E X P O S I T I O.

Cum instituerit Hippocrates in præcedenti Aphorismo dicere de evacuationibus, quod maxime prænoscere oportet, docuit, quando videlicet ab omni evacuatione sit abstinendum, nunc incipit tradere regulas bonæ, rectæque evacuationis faciendæ; & primum in hoc Aphorismo de viis, quibus peccans humor est educendus, verba facit. Monet autem, Medicum sedulum esse debere Naturæ observatorem, ut videlicet educenda educat per locos illos, ad quos non utcumque, sed maxime Natura vergit cum levamine. Patet jam connexio hujus Aphorismi cum antecedente, intentio Auctoris, & ratio intentionis.

Unica est, & simplicissima regula, plurimum tamen universalis, plurimæque utilitatis; quam probo.

Illa est utilis evacuatio, qua peccans humor educitur per locum ipsi proportionatum. Sed evacuatio hujusmodi illa est, quæ fit per locum, ad quem Natura maxime vergit cum conferentia. Ergo illa est utilis evacuatio, quæ fit per locum, ad quem Natura maxime vergit cum conferentia. Ergo Medicus, ut utilem faciat evacuationem, sedulus inspector esse debet Naturæ, observando quo maxime ea vergat per loca conferentia.

Minor probatur. Concoquere materiam peccantem, ut proportionatum locum inveniat, per quem evacuetur, opus est Naturæ maxime vergentis ad locum conferentem. Ergo evacuatio, qua peccans humor educitur per locum ipsi proportionatum, illa est, quæ fit per locum, ad quem Natura maxime vergit cum conferentia.

Hic autem mihi videtur genuinus hujus Aphorismi sensus.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

IN Aphorismo hoc sermonem habet Hippocrates de evacuantibus, quibus ait eo ducendum esse, quo Natura maxime vergit per conferentes locos; scilicet quando oportet ducere. Nam neque ullam Naturæ opem præstare debet Medicus, quando ipsa per se totum absolvit opus, ut in adnotationibus ad præcedentem Aphorismum demonstravimus, neque quod crudum est regulariter est ejiciendum, ut ostendemus in adnotationibus ad subsequenter Aphorismum vigesimum secundum. Igitur quæ ducere oportet illa sunt, quæ opportuno tempore, idest in status sine, concocta, quantum per ipsa est, ad sui eliminationem jam disposita sunt, quæque qualibet de

causa, quam nunc adducere non attinet, vel nullatenus expelli possunt, vel si expelluntur, ex integro tamen nequeunt expelli.

ADNOTATIO II.

AT vero peculiariter loquitur Hippocrates de illis, quæ educi cœperunt, sed non integre a Natura deturbari e corpore valent; inquit enim, quæ ducenda sunt eo ducere oportere, quo maxime Natura vergit per loca conferentia, quibus verbis indicat loci observationem faciendam a posteriori, ad quem Natura motu suo peccantem materiam dirigit, ut eam expellat. Ut autem hæc utiliter e corpore deturbetur, ad eum locum ferri debet, quo maxime Natura vergit,

& per quem conferentia, idest morbi imminutio, obtinetur.

ADNOTATIO III.

DEbet igitur noxius humor, qui a Natura eliminari intenditur, ad eum dirigi locum, quo Natura ipsa maxime vergit. Jam vero duplici ratione potest materia peccans, & præparata, seu concocta, ad quempiam locum maxime vergere, nimirum vel in magna quantitate ad unicum locum, vel majore quantitate ad unum locum, quam ad alios. Pæssè autem fit, ut materia peccans in critici motus initio ad plures pellatur locos, per quos educi nitatur; quo casu ille est seligendus a Medico pro segni adjuvanda Natura, & ut ita dicam, hærente, & quasi suspensa, ad quem præ cæteris materia fertur, utpote disposita magis per eum, quam per cæteros locos trudi.

ADNOTATIO IV.

Non satis est materiam peccantem dispositam esse ad sui eliminationem, quod idem est, ac dicere, ab aliarum consortio ita esse liberatam, ut, si locum inveniat, secretorium nempe sibi proportionatum, secretio contingat, nisi aliud obstat impedimentum; verum præterea opus est, ne nimio, aut nimium segni motu agatur. Si enim concitatore, quam opus sit, motu feratur, secretorios poros eludet, si vero lente nimium moveatur, subsidebit ad locum sibi proportionatum, ibique hærebit, ideoque nulla item habebitur secretio, aut si aliqua, sine conferentia. Quamobrem oportet, ut noxius humor & reliqui sanguinis consortio liberatus, & quantum necessitas postulat pro sui educatione elaboratus, motu polleat convenienti, prætereaque locum inveniat sibi proportionatum liberum, atque

patentem, ut non secretio solum, sed facilis, & cum excretionem contingat. Cum autem non raro accidat, ut materia eliminanda disposita undequaque sit ad sui secretionem, sed secretoria qualibet de ratione sint impedita, vel nisi hoc, excretorii ductus qua decet ratione non pateant; hinc Medicus hæc omnia pro casuum diversitate præstare debet, ut Naturæ recte operantis fidus & providus minister, suam eidem opem præstoletur. Hæc autem ut exequatur, satis clare perspicitur, non sufficere evacuantia, immo vero quandoque eadem fore non inutilia solum, sed etiam nocua; multo enim alia ab eisdem remedia pæssè expulstantur. Verum hoc obiter monuisse contenti, redeamus in viam. Ergo per conferentem locum educi debet id, quod ad eundem maxime vergit, idest per locum proportionatum humori educendo, & non impeditum nec quo ad secretionem, nec quo ad excretionem, & tunc profecto conferentia habebitur, morbi nempe levamen, & imminutio.

Non est tamen cur Medicus quandoque segni Naturæ auxiliari non debeat; etiam quando non excretionem, sed salutares abscessus contingunt. Quemadmodum enim superiorem Aphorismum explanantes diximus nihil movendum esse, neque novandum quolibet modo, quando Natura salubrium abscessuum ope morbos aliquos integre solvit, etiamsi hujusmodi solutio sit imperfecta; ita porro si Natura eadem ad salutarem abscessum vergat, hujusque vergentiæ certa indicia, & signa habeamus, in eo autem faciendo tarda sit, aut manca, operæ pretium est, quin etiam apprime necessarium, ipsam in hoc, licet imperfecto, critico motu obscurare, cum præstet, ægrum a gravi, periculosoque morbo per mitem, nulliusque periculi liberare, quam incertam materiæ morbificæ expulsionem tentare. Profecto

hiscæ in casibus abscessus plerumque ideo contingunt, quia materia peccans præcipitare apta, secretoriis illis improporcionata existit, per quæ naturales, & consuetæ fiunt excretiones. Cum autem inveniatur liberiore loco, quo feratur, ibi subsidet, & universam sanguinis massam deserit. Si igitur Medicus non probe cautus, potius quam Naturæ salutariter, quamvis imperfecte, operanti adjutrices manus admoveat, cujusvis generis evacuationia usurpaverit, intento suo frustrabitur, & horrendum ægro parabit detrimentum. Quid enim proclivius est, quam quod noxium humorem pelat ad sibi improporcionatas partes, a quibus repercutiatur, atque adeo circumitioni cum reliquo sanguine restituitur? Id quod si acciderit, cum jam eas adeptus sit conditiones, per quas reliqui sanguinis conjugium recuset, ideoque subsidere aliquo in loco affectet, quoniam a subsidentia, ad quam critice a Natura dirigebatur, distractus fuit, quam facile ad princeps aliquod viscus ferri, ibique & gravissimum, & fortassis etiam lethalem morbum potest progignere? Sapientissime idcirco Hippocrates experientia doctus, perniciosissimum hunc effectum quandoque a Natura ipsa vitata emergere, sexto Epidemiorum præcipit, si materia peccans ad princeps aliquod membrum feratur, ad ignobilem partem, quantum fieri potest, esse revellendum. Licet igitur, ut superius diximus, Aphorismum intelligi maxime debeat de criticis Naturæ motibus ad aliquas evacuationes per naturalia excretoria faciendas, quas Medicus adjuvare, & complere debet, si a Natura integre non absolvantur, potest tamen ad crises etiam imperfectas per abscessus extendi.

Non abhorret id forte ab ipsa Hippocratis intentione: attente enim considerando verba Aphorismi, observo primum verbo uti *ducere*, non verbo

educere. Si dixisset *educere*, soli quidem evacuationi competeret; at cum dixerit *ducere*, non minus autem ducatur ad abscessum, quam ad excretionem, mehercle abscessui etiam accommodari potest, per quem æque ac per evacuationem facienda morbi solutio obtinetur. Secundo. Inquit Hippocrates *eo ducere, quo maxime Natura vergit per loca conferentia*. Particula igitur *maxime* Naturæ vergentiam respicit, non locos conferentes. Reipsa æque maxime vergit ad conferentem locum Natura, quamvis non æque ad locum maxime conferentem, quando salutarem abscessum molitur, ac quando materiam morbificam e corpore tentat eliminare, ideoque hoc etiam nomine universaliter sumi meretur Aphorismus. Tertio tandem considero, Hippocratem in hoc Aphorismo nihil de tolerantia dicere, quandoquidem ubicunque de evacuationibus solis, potissimum vero de purgatione sermonem habet, conferentiæ facilem adjungit tolerantiam, uti (ne ab hac prima sectione discedam) facit in secundo, in vigesimo tertio, atque in vigesimo quinto Aphorismo. Signo evidentissimo, vel universaliter loqui intendisse de quibuscunque salutaribus crisis, vel si de perfectis primario dicere intendit, non exclusisse tamen secundario imperfectas, quæ per abscessus contingunt, quibusque tolerantia haberi nequit, cum de morbo in morbum, licet minorem, transitus fiat.

ADNOTATIO V.

Posteriori, ut diximus, monet Hippocrates quid faciendum sit, quando Natura non integras evacuationes instituit; non ideo tamen otiosus manere debet Medicus, quando nullus criticus motus a Natura ostenditur; dummodo enim concoctæ materiei signa se prodant, humoris noxii

expulsionem debet procurare, tollendo præcipue de medio impedimenta, quæ illa sunt, quæ ut plurimum concoctæ materiei eliminationem non sinunt. Quoniam vero cognitio hæc a priori est procuranda, eaque pendet a probe perfecta morbi Natura, ejusdemque causa, tum a circumstantiis omnibus morbi ipsius, causæ, & ægrotantis, ab apparentibus etiam cunctis, aliisque id census, ideoque difficilis admodum est; hinc melius semper, tutiusque medicum opus dirigitur, quando Natura suam ad crism propensionem commoustrat. Cæterum aliæ observationes præmittendæ Medico non sunt ad salutarem crism promovendam, viam quoque non præmonstrante Natura, in quibus una ex potissimis est observatio morborum, & conditionum omnium, quibus Natura sponte salutari-ter operata est, & per plures, ac repetitos casus experientia didicimus consuetam ejusdem Naturæ agendi rationem, in casibus undequaque similibus ei, quem præ manibus habemus.

Hujus autem rei non ignobilia præcepta ab eodem Medicorum Principe haurire possumus, tum a Galeno, pluribusque aliis egregiis Auctoribus, & antiquis, & neotericis.

COROLLARIUM.

EX dictis in Adnotationibus ad hunc, & præcedentem Aphorismum, colligi facile potest, intentum Hippocratis in eisdem condensis fuisse viam sternere subsequens, qui purgationis regulas exhibent. Purgationes igitur primario respexit: verum & secundo quaslibet naturales evacuationes. Sed cum quæ in hisce Aphorismis docuit illis expresserit verbis, quæ imperfectis etiam crisibus accommodantur, propterea credendum venit, ad has quoque, remote saltem, oculos intendisse. Maximus autem hic est, præter veritatem, Aphorismorum fructus, ut licet ad peculiariora directi sint, quam latam possunt obtinere extensionem complectantur.

APHORISMUS XXII.

Concocta medicari, atque movere, non cruda; neque in principiis, modo non turgeant; plurimum vero non turgent.

EXPOSITIO.

CONNECTITUR præsens Aphorismus cum superiore, quia cum Hippocrates in antecedente tradiderit regulam evacuationum in ordine ad vias, per quas fieri debent; in præsentem tradit aliam regulam in ordine ad tempus morbi, quo ipsæ celebrandæ sunt.

Dividitur in duas partes. In prima regulam tradit; scilicet medicandam esse materiam concoctam, non crudam, neque in principiis. In secunda exceptionem assignat, videlicet

evacuandam etiam esse materiam crudam & in principiis, si turgat.

Prima pars sic probatur. Tunc solum est evacuandum, quando humor peccans potest fecerni a non peccantibus cum ægri conferentia, & tolerantia. Sed materia peccans tunc solum potest separari a non peccantibus cum ægri conferentia, & tolerantia, quando concocta est. Ergo tunc solum est evacuandum, quando materia est concocta.

Major est certa; Minor vero probatur.

Tunc solum materia peccans potest separari a non peccante cum ægri conferentia, & tolerantia, quando victa est, & superata a Natura. Sed tunc solum victa est, & superata a Natura, quando est concocta. Ergo materia peccans tunc solum potest separari a non peccante cum ægri conferentia, & tolerantia, quando est concocta.

Contraria ratione probatur, materiam crudam, licet peccantem, non esse medicandam.

Quod autem medicatio institui non debeat in principio, in promptu est ratio.

In principiis materia est cruda. Sed ex probatis materia cruda evacuanda non est. Ergo in principiis medicandum non est.

Venio ad secundam partem, videlicet ad enuntiatam regulæ exceptionem, quam sic probo.

Tunc evacuanda est aliqua materia, etiam si sit cruda, quando ab ea intus retenta majus est periculum, quam ab ejus evacuatione. Sed a materia turgente, etiam si sit cruda, intus retenta majus est periculum, quam ab ejus evacuatione. Ergo materia cruda, dum turget, est medicanda.

Major ex terminis patet. Minor probatur.

A materia turgente cruda intus retenta inest periculum, ejus decubitus in aliqua parte nobili; ab evacuatione vero materię turgentis crudæ non est periculum, nisi difficilis tolerantię. Sed periculum decubitus in aliqua parte nobili majus est periculo difficilis tolerantię: hoc enim potest reparari

per cordialia, illud nulla ratione potest reparari. Ergo a materia turgente cruda majus est periculum, quam ab ejus medicatione.

Subdit Hippocrates, raro materiam turgere, quod experientia constat. Sed etiam ratione probatur, quæ est hujusmodi.

Multo rarius contingit, materiam peccare & qualitate, & quantitate, & motu, quam sola aut qualitate, aut quantitate, aut motu. Sed materia turgens peccat qualitate, quantitate, & motu, ut ex Galeno primo de Crisibus Cap. 9. Ergo per raro contingit, peccantem materiam turgere.

Et hic sensus est Aphorismi.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Aphorismus hic (licet a nonnullis negerur) tendit revera ad præscribendam regulam pro opportuno tempore purgationum faciendarum. Cum enim dicat concocta medicanda esse, & movenda, non cruda, quoniam concoctio est illa actio, quæ materiam crudam, cæteris concurrentibus, disponit, ac dirigit ad exclusionem, talis autem redditur hæc tantummodo, quando morbus est in statu, consequens est, ut nec principium, nec augmentum morbi opportunum sit tempus pro evacuationibus faciendis, sed tantum morbi status, aut potius declinatio; oportet namque tempus Naturæ suppetere, quo morbificam materiam primum digerat, deinde disponat, demum dirigit ad evacuationem. Ostendunt id ipsum reliqua etiam Aphorismi verba universalis regulæ exceptionem ponentia, ut suo loco probabimus.

ADNOTATIO II.

Concocta igitur medicari, ac movere oportere, non cruda, præcipit divinus Senex. Porro quæ cruda

sunt sub duplici differentia, saltem, quo ad gradum, considerari possunt. Sunt quæ facile in sanguinem convertuntur, alia vero vel ægre, vel nullo modo sanguinis materia evadunt. Illa sunt quæcumque in bonum chylum facessere apta nata sunt; hæc vero, quæ chylum ipsum, & sanguinem inficiunt, vel in eodem sanguine præternaturaliter gignuntur. Ambo autem eisdem concoctricibus viribus subjiciuntur; hoc tamen discrimine, quod prima consuetis Naturæ viribus, citius quidem, aut tardius pro varia eorum indole, sed intra convenientis tempus, pareant sine tumultu. At secunda resistunt adeo, ut nisi temporis diuturnitate, & a majoribus supra consuetas viribus subigi possint. Hinc perturbatio quædam Naturæ oboritur, unde in secretionibus, & quibuscumque aliis animalibus functionibus subversiones, aut saltem alterationes contingunt; tandem ægrotatio manifestatur. Quid de ciborum concoctione dicendum sit, vel quo ad subactionem in chylum in ventriculo, vel quo ad eorundem sanguinea vaia ingressorum sub chyli forma conversionem in sanguinem, lubens prætermitto. Hæc enim ex medicis

dicis Institutionibus, & ex anatomis nota suppono. Brevi nobis est inquirendum, in quo materiæ morbificæ concoctio consistat.

Jam vero materia morbifica, quæ ante sui concoctionem cruda appellatur, ita sanguini improporcionata est, ut subigi quidem possit a viribus concoctricibus, nunquam tamen, quemadmodum superius indicavimus, redigi in materiam sanguini conficiendo aptam, nec nutriendo parem. Porro hujusmodi materia non potest non perturbare sanguinis motum, ideoque pro varia ejus indole hic modo concitator, modo remissior evadet. Loquor hic de intestino sanguinis motu, quo alterato, ni semper, sæpe saltem ille etiam circumventionis vitatur. Si quidem autem intestinus sanguinis motus fiat concitator, oportet id contingere a particulis maxime activis ipsum supra consuetos Naturæ limites exagitantibus. Hujusmodi autem vel salinæ volatiles sunt, vel sulphureo-salinæ volatiles. Si primæ, coagulationem in sanguine ponent; quamquam enim fallam, aut acidam naturam redolent; ideoque ad agendum pronæ, & nondum exaltatæ, cum spiculis præditæ sint, cor, arterias, membranas, & quælibet alia, quibus applicentur, vellicabunt, unde hæc ad crebriores, celerioresque contractiones incitabuntur. Hinc frigus, pulsus celer, frequens, parvus, & contractus, qui in Febrium, præsertim intermittentium initio observatur. Quod si sulphureo-salinæ volatiles fuerint, quoniam hujusmodi particulæ alias sibi consimiles a sanguinis crassamento exsolvunt, oportet motum in sanguinem induci admodum perturbatum, calorificum, & expansivum, qui & ipse irritans est. Sunt hæc quæ statim in calorificis Febribus, tumque in aliis prægrelo frigore observantur, & ex quibus facile est explicare pulsus plenum, durum, renitentem, prætereaque celerem, & cre-

brum. Quamquam hæc extra nostrum institutum esse videntur, ostendunt tamen quandam veluti fermentationem in humorum massam inductam a dictis activis principiis, cujuslibet census hæc sint, quam aliqua tandem præcipitatio sequatur necesse est. Continget autem tunc solum, quando per dictum motum materia morbifica, & cruda adeo exagitata fuerit, subacta, attenuata, & attrita, sive ad concrectiones perducta, ut apta reddita sit in sero sanguineo exsolvi, & a reliqui sanguinis vinculo liberari. Et in hoc tandem tota materiæ morbificæ concoctio consistit. Sed jam quæ remissioem in sanguine motum ponunt, vel ita inducunt, ut ipsæ perseveraturus sit per universum morbum usque ad concoctionem, vel per breve aliquod tempus, cui deinde concitator sit successurus. Contingit postremum hoc quando materia morbifica naturæ est salinæ volatilis; licet enim ipsa in concitato sit motu, in universo tamen sanguine lentorem parit. Quoniam vero aliam sibi consimilem materiam exsolvit e sanguine, hunc ideoque universum tandem exagitat, luctamque cum sulphuribus init, quæ in libertatem agendi posita, exaltata, & perturbata, calorificum motum frigori succedentem excitant. Verum hæc cum superius adductis coincidunt. Nunc illa nobis explicanda est cruditas, quæ a crassioribus particulis ponitur, remissioemque sanguinis motum reddit. Hujusmodi cruditas visciditatem præferet, duplicemque naturam exposcit, alteram humidam, alteram salinam, crassiusculam tamen, & nullatenus volatilem. Summam autem præferet acridinem, & non raro manifestam aciditatem, quo casu cruditas acidam nuncupari consuevit. Perraro fit, ut particulas activas commoveat, quin frequentissime easdem deprimit, & veluti compedibus devinctas detinet, ne vim suam exercent; & quoniam sum-

mam præfert visciditatem, membranæ, fibrisque adhæret, & ubicunque angustia sunt facili negotio sublidet. Sollicitat fibras ad contractionem, quæ ideo tentant visciditates illas ab adhæssionibus depellere, & quantum possunt atterere. Quantum negotii in hoc opere facecat Natura facile est cognoscere. Nam hujusmodi materies non nisi diutissimo tempore, & repetitis, assiduisque fibrarum actionibus ad concoctionem perducitur; quo tandem fit, ut requisitam adipiscatur attenuatorem, ac subactionem, ut sero sanguineo solvi possit, a cæteris sanguinem componentibus sejungi, libere in gyrum agi, nec amplius partibus adhærere. Hæc cum obtinuerit materies morbifica, concocta jam est, & quantum in se est eliminari apta, si cuiuspiam excretorio proportionem habeat; sin minus, disposita est ad subsidentiam in aliquo loco, ubi abscessum conficiat, qui si contigerit ad ignobilem aliquam partem, erit salutaris. Quæcunque tandem ea sint, quæ concoqui debent, & quæcunque ratione ad concoctionem perducantur, certum est, ea vel fieri proportionata ad poros subeundos earum glandularum, quæ alicui excretioni famulantur, vel hisce adhuc manere improporionata. Utrolibet modo res eveniat, semper morbi solutio continget, vel solis viribus Naturæ, vel Medico opem suam ferente; & si quidem evacuatio aliqua habeatur, crisis erit perfecta, sin minus, crisis imperfecta continget, & per abscessum.

ADNOTATIO III.

EX dictis in superiore proxima adnotatione apparet, quid sibi velit medicari, & quid movere concocta, non cruda. Quæ prodire apta sunt medicari oportet, idest evacuare, quæ vero ad abscessum conficiendum feruntur, cum subsidentiam in aliqua par-

te adipiscantur, moventur solum, nullatenus eliminantur. Hæc autem vel integre a Natura fiunt, & vigesimus Aphorismus docet, totum opus Naturæ esse sinendum; vel non integre fiunt, & ex superioris Aphorismi præscripto, quo maxime Natura vergit per conferentem locum Medico adjuvante ducendum est. Demum medicatio, sive evacuatio institui debet vel tantummodo motio obsecundanda, sive insua ad abscessum latione juvanda est, ut in hoc Aphorismo docet Hippocrates. Patet igitur movere a medicari differre per hoc, quod nempe quæ moventur, non ideo quod moveantur, necessario debent e corpore effluere; quando quidem quæ medicantur non moventur solum, sed etiam eliminantur; de concoctis tamen loquendo, nam de crudis alia est ratio, ut inferius ostendemus.

ADNOTATIO IV.

NON ait Hippocrates, medicandos non esse ægros, nec quidquam in eisdem movendum esse, sive crudum, sive concoctum, in principiis morborum, sed medicari debere concocta, non cruda, neque in principiis. Enim vero concocta in principiis morborum non habentur, neque haberi possunt, quocunque modo morbi principium intelligatur, neque vel pro primo illo morbi tempore, quo morbus manifestatur, ipsumque faciens materia maximas invenit resistentias sibi a Natura oppositas, ideoque res veluti in æquilibrio permanet, & materia morbifica vires adepta non est supra illas Naturæ, unde morbus augeatur; vel intelligatur pro universo illo tempore, quod interjacet inter primam morbi invasionem, & illud, quo materia concoquitur, viresque idcirco Naturæ supra illas morbi præpollere incipiunt, quoque tempore materia morbum constituens eliminationi, aut transmeatio-

ni ad ignobilem partem preparatur; quo quidem sensu nonnulli intelligendum esse principium in hoc Aphorismo contendunt. Ly igitur in principii ad cruda est referendum, & summo quidem consilio ab Hippocrate appositum esse perspicimus. Nam licet in principii concocta non habeantur, quæ evacuentur, aut ad aliquam partem moveantur, habent tamen cruda, quæ quandoque aut evacuari, aut ad abscessum ferri, aut alia ratione moveri possunt, si videlicet turgeant.

ADNOTATIO V.

Galenus in Commento, aliisque in locis, turgentem materiam statuit illam, quæ impetu ad omnes partes fertur, incitatque Naturam ad ejus exclusionem; Primo autem de Crisibus cap. 9. ait esse materiam illam, quæ qualitate, quantitate, & motu peccat. Quidquid sit de iis, quæ Galenus protulit, atque de iis, quæ cæteri Hippocratis Commentatores de re hac in medium adducunt, quæ ad lancem expendere non vacat, nec forte decet, nos materiam turgere intelligimus, quando, cum cruda sit, vires adeo intendit suas, ut in summam perturbationem conjiciat ægrum; vel id efficiat propterea quia quantitate maxime exuberet, vel quia qualitatis sit humanæ Naturæ admodum infensæ, vel quia tantam in humoribus motionem excitet, ut symptomatum multitudinem, & vehementiam oboriatur. Eo autem magis turgebit, quo aut majores activitatis gradus adepta erit in singulis enarratis conditionibus junctim, aut ex his binæ, vel omnes copulabuntur. At quocumque modo res accidat, constat, semper adeo perturbandam esse Naturam, ut periculum emergat, ne turgens materia vel symptomata pariat maxime perniciofa, potissimum vero evacuationes aliquas præter naturam, veluti immodicas hæ-

morrhagias, vel conficiat abscessus item perniciosos ad principes, & internas partes, sive etiam ad externas, sed periculosos, cujusmodi non raro sunt parotides. Porro hæc in casibus materia cruda medicari, idest evacuari postulat, aut moveri. Primum si non tam qualitate, aut motu, quam quantitate exuberante peccaverit; neque enim tunc improporcionata adeo est poris glandularum excretionibus faventium, neque adeo cæteris sanguinem componentibus permixta, & involuta, ut pharmaco calcaria pro exclusione adjicienti non sit obsecutura. In hujusmodi autem circumstantiis quoniam Natura semper tentat expulsionem per locum sufficienter proportionatum, semper etiam per eundem est adjuvanda. Quod si materiei peccantis turgentisque vitium fuerit sive in qualitate, sive in motu, quoniam tunc vel prorsus improporcionata est naturalibus quibuscunque excretoriis, vel universo sanguini adeo commixta, cum eoque confusa, ut ab ejusdem consortio liberari non possit; idcirco materia cruda turgens moveri exigit, non evacuari; quodlibet enim ad evacuationem conamen, ut irritum, ita perniciosissimum esset. Quomobrem scire hic refert, si dicta materia tantummodo in depravata qualitate peccaverit, tunc utiliter ad abscessum posse dirigi; at si efferato motu cieatur, sive hic cum prava qualitate copuletur, sive non, sive etiam quantitate exuberet, & medicationes, & abscessus in cassum tentari. Cum autem juxta Hippocratis præscriptum ea sit movenda; quam ratione? Nimirum aut sanguinis missione, aut curcubitarum applicatione, vel cum, vel sine incisione, pro exigentia, aut frictionibus, aut applicatione phænigmatum, vescicatoriorum, aliorumque id census, prout morbi natura, ejusdemque symptomata maxime opportunum esse indicaverint.

En igitur quomodo materia turgens, aut evacuari, aut ad abscessum ferri potest, aut alio modo moveri. Hac autem ratione intellecta materia turgens non ita perraro in principiis morborum manifestatur, quemadmodum asserit Hippocrates. Id tamen non tollit, quin verum dixerit, affirmando ut plurimum non turgere; nam ipse materiam turgentem illam intelligit, quæ ejusmodi est, ut per consuetas Naturæ evacuationes vi possit expelli, potissimum vero per vomitum, sive per alvinam purgationem, cum ipsius mos sit verbo medicari uti,

quando de cataractis sermonem facit. Adeo autem verum est hoc Hippocratis sensu materiam crudam ut plurimum non turgere, ut perraro in principiis morborum alvi excretiones contingant; quod si quandoque apparent, sæpissime id est, potius quam ob materiam crudam turgescantiam, propter stimulorum incitamenta; & tunc quidem in illis annumerari merentur, quæ secundo Epidemiorum Artis noster Magister judicatoria non judicantia appellavit, quæque statuit partim lethalia esse, partim difficilis judicationis.

APHORISMUS XXIII.

Dejectiones non multitudine estimanda sunt, sed si talia dejiciantur qualia conveniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

EXPOSITIO.

Facile est Aphorismum hunc cum præcedente connectere; siquidem cum in tribus superioribus Aphorismis de evacuationibus generatim locutus sit Hippocrates, & in vigesimo secundo præcise de tempore evacuationum instituentiarum, in hoc descendit ad eam evacuationis speciem considerandam, quæ propria, & stricta significatione purgatio nuncupatur. Pro hujus quantitate stabilienda normam dat a posteriori, scilicet observationem qualitatis humoris purgandi, & virium sufficientem conservationem; quando quidem a priori cognosci potest cujus naturæ sit humor exuberans morbum faciens, minime vero quam exuberet quantitate. Patet igitur connexio hujus Aphorismi cum præcedente, Auctoris intentio, & ratio intentionis.

Duplicem habet partem Aphorismus, in quarum prima docet Hippocrates normam attendendam pro quantitate dejectionum determinanda; in altera ex generica propositione veluti corollario quodam deducit, ad animi usque defectionem, quando opus sit, ducere purgationem quandoque convenire.

Jam vero primam partem probō.

Quantitas dejectionum faciendarum respondere debet quantitati exuberantiæ humorum noxiorum. Sed quantitas exuberantiæ humorum noxiorum determinari nequit, nisi ex ipsa dejectionum natura respondente naturæ morbi, & symptomatum morbum concomitantium, atque ex ægri virium sufficienti conservatione. Ergo quantitas faciendarum dejectionum determinari nequit, nisi ex ipsa dejectionum natura, atque ex ægri virium sufficienti conservatione. Subsumo. Sed determinare quantitatem dejectionum faciendarum ex ipsa dejectionum natura, & ex ægri sufficienti virium conservatione, est æstimare dejectiones non multitudine, sed si talia deiciantur qualia conveniunt, & ægri facile tolerant. Ergo dejectiones non multitudinæ æstimandæ sunt, sed si talia deiciantur qualia conveniunt, & ægri facile tolerant.

Probatur minor prima argumenti.

Si ex alio determinari posset quantitas exuberantiæ humorum noxiorum, præterquam ex ipsa dejectionum natura, respondente naturæ morbi, & symptomatum morbum concomitantium, atque ex ægri virium sufficienti conservatione; id maxime obtineri posset a morbi, & symptomatum vehementia. Sed a morbi, & symptomatum vehementia quantitas exuberantiæ humorum noxiorum determinari nequit; nam vehementia morbi, & symptomatum persæpe pendet ab eorundem humorum noxiorum efferato motu, & summa exaltatione. Ergo quantitas humorum noxiorum determinari nequit nisi ex ipsa dejectionum natura respondente naturæ morbi, & symptomatum morbum concomitantium, atque ex ægri virium sufficienti conservatione.

Venio ad secundam partem. Et quoniam ex probatis

confectarium fuit, videlicet eo usque trahendas esse dejectiones, donec noxii humores purgantur, viribus ægri sufficienter manentibus: aliud etiam Corollarium deducitur; hoc est, si noxii humores plurimum exuberent, eos dejiendos esse usque ad virium languorem, dummodo hæ cordialibus queant reparari. In hoc sensu sententiæ unitatem servante intelligendum esse Aphorismum censeo, dum ait: *Atque ubi usque ad animi dejectionem expedit ducere, faciendum est, si æger possit tolerare.*

Atque hæc satis quo ad utramque Aphorismi partem.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Hippocrates in hoc Aphorismo de purgationibus loquitur stricta significatione sumptis, idest de purgationibus per inferiora; quæ enim ex alvo medicamenti vi deturbantur, de jici proprie dicuntur.

ADNOTATIO II.

Cum in postrema Aphorismi parte manifeste agat Hippocrates de opere medico, non licet propterea sine ulla causa ab eodem sensu discedere in eodem explicando etiam quo ad primam partem. Re ipsa quid refert de celebratis dejectionibus considerandam proponere humorum qualitatem, viriumque sufficientem conservationem? Artefactæ purgationes vel detrimentum, vel emolumentum attulerunt; & quoties cum detrimento fuissent, cui utilitati facere potest scire quænam, quaque virium jactura prodierunt? Quod consecutum malum est vel irreparabile se prodit, vel majorem, diligentioremq; Medici operam expostulat, qui inductum morbum depellat, quam requirebatur ante purgationem, ut eadem fieret.

ADNOTATIO III.

Nullatenus ex dejectionibus ipsis, scilicet ex dejectorum qualitate, & ex ægri facili tolerantia, stabiliri potest ad quamnam quantitatem dejectiones ipsæ sint perducendæ, nisi pluries repetendæ sint purgationes; quo in casu quæ in prima purgatione prodierunt normam præbere possunt pro repetenda purgatione vel in eadem, vel in dissimili quantitate; modo tamen prima purgatio noxiorum humorum fuerit, ideoque eorum, qui evacuandi, seu dejiendi erant, non tamen omnium, & præterea vires admodum valentes permanserint. Sed quoniam sic æstimare dejectiones faciendas idem est, ac easdem inconsulto determinare, propterea quia prima purgatio esse potuisset eorum, quæ vel nullatenus noxia erant, vel noxiorum quidem, sed cum utilium magna quantitate; ideoque vel sine conferentia, vel si cum conferentia, saltem sine tolerantia; hinc satius duco Aphorismum alia ratione explicare, quod facere aggredior.

Proposuerat Hippocrates in secundo Aphorismo observationem faciendam circa evacuationes tum per vomitum,

tum, tum per sedem, quæ sponte a Natura peraguntur, deque eisdem æstimandis signa docuit, conferentiam scilicet, & facilem tolerantiam quæ bonis, contra vero quæ malis. Signa autem hæc, ut nos interpretati sumus, in ejus Aphorismi prima particula ad qualitatem retulit, deinde in secunda particula ad quantitatem etiam extendit, quod ibi nos probabile ostendimus. Jam vero si Aphorismum hunc ad secundum referamus, patere facile potest, quomodo ex ipsa dejectorum natura, atque facili ægri tolerantia norma sumi possit pro dejectionibus arte instituendis. Quoniam vero de quantitate purgationum sermo præcise habetur in hoc Aphorismo, ut nostra fert sententia; multitudo enim ad noxii humoris quantitatem spectat, non ad qualitatem; prætereaque ad animi deliquium perducuntur purgationes propter multitudinem dejectorum, non propter pravam eorum qualitatem; idcirco quemadmodum in secundo Aphorismo attendendam esse conferentiam, & facilem tolerantiam diximus, non modo quo ad qualitatem, sed etiam quo ad quantitatem, si nimirum nec exuberans hæc fuerit, nec deficiens, ita in hoc Aphorismo dicimus, purgationes æstimandas non esse a quacunque æstimatione, sed ab ea, quæ noxios humores educat tales, quales educi oportet, idest nec in exuberante quantitate, nec in deficiente. Si enim eduxerit aliquis minus, quam oporteat, conferentia, saltem integra, haberi non poterit; si plus, non habebitur tolerantia, quoniam virium resolutio continget. Oportet igitur, eum, qui purgationes instituere debet, antequam earundem quantitatem decernat, præ oculis habere tum dejectorum naturam, tum ægri virium sufficientem conservationem,

At vero hæc nullatenus in eodem ægro, quem purgandum habet, potest Medicus considerare. Oporteret nam-

que eum eorundem plenam a priori notitiam habere, quæ non modo perdifficilis est, sed persæpe fortassis etiam impossibilis. Conjectari quidem possumus ex natura morbi, ex ejusdem symptomatibus, atque ex aliis hujusmodi quinam sit humor peccans in ægro purgando, at non ita facile quantum exuberet, cui exuberantiæ purgationis multitudo debet respondere. Qui morbus ex. gr. originem suam a bile male affecta traxit, ille potest eam duxisse a nimia bilis quantitate nulla prava qualitate conjuncta, nulloque ejusdem bilis vitiato motu; at potest etiam a bile pravæ qualitatis, aut depravato motu acta oriri, neque impossibile est, quæ uno in casu symptomata observantur, in aliis quoque eadem manifestari; atque ideo nihil proclivius occurrere potest, quam quod bilis ex. gr. exaltationi, ejusve motui effertur tribuatur id, quod ejusdem exuberanti multitudini est tribuendum; & contra. Difficile igitur, nisi impossibile, est purgandorum quantitatem statuere, præterquam a posteriori.

Rem autem hanc in hunc modum concipio. Oportet experientiam habere eorum, quæ utiliter, aut inutiliter, cum tolerantia, aut sine, sponte a Natura purgata sunt; atque hinc deducitur, quam summo consilio Aphorismum secundum hujus primæ sectionis condiderit Hippocrates. Nimirum proposuit observandas purgationes a Natura sponte agente institutas, & si quidem ipsæ conferentiam cum facili tolerantia attulerint, stabiendum per nos esse docuit, noxium humoremeductum esse, & in debita quantitate. Verum non satis esse id attendere cognovit, ideoque subjunxit, inspiciendas esse regiones, tempora, atates, morbos, in quibus convenient, aut non. Ita porro ex sedula, sapiusque repetita observatione eorum, quæ in spontaneis purgationibus contingunt,

com-

comparare nobis possumus experientiam utilium, seu inutilium. Si igitur cum illis, quæ ex observatione Naturæ sponte agentis experientia didicimus, ægrum a nobis purgandum contulerimus, probe considerando similitudinem conditionum omnium quo ad morbi naturam, ejusdemque symptomata, ægri ætatem, tempus tum morbi quodlibet, tum anni, regionem, cæteraque omnia inspicienda, facile statuere poterimus quid purgandum sit, & quantum.

ADNOTATIO IV.

Facile etiam, præscriptam regulam observando, cognosci potest, quando expediat usque ad animi defectionem ducere, hoc est purgare, & æger hujusmodi purgationem possit perferre. Id ipsum profecto enuntiata experientia compertum habere possumus, non modo ex illis, quæ uberrime, & usque ad animi defectionem sponte Naturæ purgata sunt cum ægri conferentia, ac sufficienti tolerantia, sed etiam animadversione morbi, ætatis, temporis, regionis &c., quibus præfata purgationes contingere. Quomobrem præscriptionem habere possumus similiter purgandorum ægrorum, qui in eisdem prorsus fuerint circumstantiis.

ADNOTATIO V.

Ducere ad animi defectionem intelligi potest ea eadem ratione, qua a Celso intelligitur, missionem sanguinis quandoque celebrandam esse usque ad animi deliquium exclusive; scilicet donec, & usque quo vires ægri persistant, quæ cæteroquin labacerent, ægrumque ipsum in lipothymiam conjicerent, si præterea sanguis effluere permetteretur, etiam si in exigua quantitate. Id ipsum applicari dejectionibus potest, de quibus solis a-

gere Aphorismum censemus; etenim dejectiones ipsæ eo trahi possunt, ut si ulterius ducerentur, lipothymia accideret.

Dignum autem animadversione hoc in loco nobis videtur, perperam, & sine ulla ratione Galenum, & ex eo plerosque Commentatores postremam hujus Aphorismi partem ad sanguinis missionem transferre. Etsi sanguinis missio evacuatio quædam est, per vias tamen noviter, & præter Naturæ institutum factas ab Arte instituitur, non per naturalia emunctoria. Cum autem Aphorismus in prima parte manifeste de dejectionibus agat, scilicet de purgationibus per alvum, quæ per naturales intestinorum glandulas absolvuntur; præterea interpositus sit Aphorismus hic aliis de evacuationibus agentibus, quæ vel generice spectant ad naturales vias, cujusmodi sunt Aphorismi hunc præcedentes, vel peculiariter ad propriam, & stricta significatione sumptam per inferiora purgationem pertinent, quales sunt qui hunc sublequantur Aphorismi; incongruum est credere, quin & Hippocrati injuriam, constantissimum Virum adeo enormiter deflexisse a sua tractatione, & in una eademque sententia de uno modo, modo de alio a primo toto cælo distante locutum esse; quandoquidem ad idem, idest ad dejectiones, tota aphoristica sententia referri potest.

Diximus supra, intelligi posse animi defectionem exclusive, ad Celsi similitudinem; verum intelligi etiam posse autumamus usque ad levem quampiam lipothymiam actu advenientem, videlicet usque ad ejusmodi virium languorem, per quem in semilipothymiam, & ut ita dicam incompletam lipothymiam incidat æger, ipsi tamen facile ferendam, & a qua statim per cordialia, aliave medica præsidia possit excitari. Dignoscere autem quando æger illam sit facile laturus, jam supra

pra inuimus pendere ab experientia eorum, quæ in aliis similibus casibus Natura sponte agente contigerunt.

ADNOTATIO VI.

QUæcunque hæcenus diximus comparare nobis posse per experientiam eorum, quæ sponte Naturæ contingunt, valorem, & quidem non parvifaciendum, adipiscuntur, & experi-

entiam ipsam valde, multumque augent, si ab arte quoque ad Naturæ similitudinem per repetitas purgationes naturalibus respondentes, & in eisdem circumstantiis fuerint confirmata; quæ utpote recta dirigente ratione ad Naturæ similitudinem instituuntur, non ignobile pondus adjiciunt considerationibus faciendis pro dejectionibus in ægris statuendis, & ad requisitam mensuram perducendis.

APHORISMUS XXIV.

In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti: & hoc cum præmeditatione faciendum.

E X P O S I T I O.

CONSTITUTA ab Hippocrate norma in superiore Aphorismo pro æstimanda quantitate dejectionum faciendarum in morbis, descendit in hoc ad docendum, num in acutis passionibus sit purgandum, quando, & debitis cautionibus. Patet ex hoc & quinam nexus habeatur hujus Aphorismi cum præcedente, & quænam magni Senis intentio sit, & ratio intentionis.

Unica est aphoristica sententia, quæ etsi in plures dividi particulas potest, a me tamen unica comprehenditur argumentatione.

Tunc tantum purgatio est instituenda, quando Natura per ventris perturbationem crism tentat, aut quando materia cruda turget ad intestina. Sed utrumque raro accidit in acutis passionibus, & si quandoque turgeat materia cruda ad intestina, id fit in principiis. Ergo raro in acutis passionibus, & in principiis medicinis purgantibus uti oportet.

Major deducitur ex Aphorismis vigesimo primo, & vigesimo secundo. Minor vero probatur.

In acutis morbis humores noxi motus celeritate, & sui exaltatione peccant. Sed quæ peccant motus celeritate, & sui exaltatione raro ad intestina vergunt, utpote quia, cum per intestina purgentur viscida, & crassa, excretoriis intestinorum, & viscerum ad eadem confluentium nequaquam proportionata sunt: et si aliquando materia cruda turgeat ad intestina, id fit in principiis, quoniam ab impuritatibus primarum viarum dependet. Ergo raro accidit, Naturam crism tentare in acutis morbis per ventris perturbationem, aut materiam crudam ad intestina turgere, & si aliquando turgeat, turget in principiis.

Subdit autem Hippocrates *Et hoc cum præmeditatione faciendum*. Jure profecto. Nihil enim proclivius occurrit in acutis passionibus, præsertim vero in principiis, quam quod dejectiones fiant symptomatica expressione, quæ cum tenujum potius sint, quam crassorum, propterea non modo nullam materię crudæ turgescientiam commonstrant, quin potius aut lethale periculum, aut saltem longitudinem futuram morbi portendunt. Sunt enim ex iis, quæ ab Hippocrate judicatoria non judicantia dicuntur, quæque idcirco omni animi sedulitate curandum est, ne cum turgente materia confundantur.

Hæc quo ad Expositionem hujus Aphorismi maximæ utilitatis in Medicina facienda.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

Quod ad verborum significationem spectat, determinandum occurrit, quinam sint morbi acuti, quorum definitionem desumendam nonnulli putant ab Aphorismo vigesimo tertio Sectionis secundæ, in quo affirmat Hippocrates, acutos morbos quatuordecim diebus judicari. Verum si quicumque morbi quatuordecim diebus judicantur acuti essent, oporteret nonnullos morbos declarare acutos, qui

nihil acutię præferunt, veluti tertiana legitima. A duratione igitur non est repetenda morbi acutię, sed tantum ejusdem celeritas, aut tarditas. Re ipsa non dixit Hippocrates acutos morbos esse illos, qui quatuordecim diebus judicantur, sed supponit in eo Aphorismo acutos morbos, quos statuit quatuordecim diebus judicari. Desinit potius acutos morbos primo Epidemiorum Libro Sectione tertia, ubi habet *Sunt autem acutissimi, & maximi, & gravissimi morbi, & maxime*

sime verbales in continua febre; ex quibus apparet, acutiem morbi a magnitudine, a gravitate, & a periculo pendere. Quoniam vero gravitatis, & magnitudinis morbi ejusdem celeritas comes est, factum hinc ut acuties defumatur a termino, non ut genere, sed ut differentia discriminante acutos morbos inter se, scilicet exquisitè peracutus a peracutis simpliciter, hos ab acutis, & in his simpliciter acutos ab acutis ex decidentia. Dicitur propterea morbus acutus in genere morbus celer cum periculo, quemadmodum in prima ad quartum Aphorismum adnotatione statuimus.

Cæterum vix quicquam aliud in hoc Aphorismo continetur, quod explicatione indigeat. Si enim purgantia medicamenta respiciamus, hæc procul dubio catartica intelligenda sunt, quibus asserit Hippocrates raro uti oportere in morbis acutis, & in principiis. *Ly* autem in *principis* intelligi exposulat non de sola prima morbi invasione, sed de toto illo tempore, quo morbus in principio dicitur, quod, de morbis simpliciter acutis loquendo, ad quartam extenditur. Quanquam & per totum augmentum, & status initium, uno verbo per universum cruditatis tempus, perraro acutis purgans medicamentum convenire, ut infra probabimus. Tandem quod spectat ad præmeditationem, quam *Cous Senex* inculcat, liquet nihil aliud eam significare posse, nisi considerate admodum, & summas præ oculis cautiones habendo purgandos esse acuto morbo detentos; si tamen illud agere aliquando oportere censeatur. Res igitur tota redigitur ad Aphorismi veritatem ostendendam, quam in Expositione nostra leviter adumbravimus, nunc vero præstat aliquando luculentius demonstrare. Antequam tamen id oneris suscipiamus, libet sententiam ipsam aphoristicam explanare.

ADNOTATIO II.

SENTENTIA hæc pertinet ad purgationem, non quidem generice, sed quatenus peculiariter convenire potest, aut non, in acutis passionibus; ideoque regulam promulgat universalem has respicientem, idest purgatione utendum non esse. Sed quoniam hujusmodi universales regulæ in Medicina non dantur, idcirco affert ejusdem regulæ exceptionem, videlicet, si aliquid persuaserit purgandos esse ægros acutis morbis laborantes, id raro contingere. Demum in hac exceptione duas servandas regulas docet; altera est, ut purgatio fiat in principiis; altera vero, ut fiat cum præmeditatione.

ADNOTATIO III.

JAM vero in acutis passionibus (quod alias quoque diximus) semper inflammationem, aut proximum ejus periculum adesse censemus. Sententiæ huic nostræ adstipulari videtur ipse Artis noster Magister primo de Ratione victus in acutis Libro, numero tertio, ubi acutos morbos exemplificans habet: *Sunt autem acuti morbi, quos Veteres nominaverunt pleuritidem, peripneumoniam, pbrænitidem, & febrem ardentem, & alii morbi, qui ex his hærent, quorum febres omnino continuæ sunt, & occidunt.* Cum itaque morbi ab Hippocrate exarati, atque hujusmodi alii sint acuti, patet, in eisdem maximum sanguinis fervorem, summumque ad partes omnes impetum haberi, quæ cum ab activorum principiorum exaltatione proficiantur, sive hæc ea sint, quæ cæteroquin ex Naturæ præscripto sanguinis compositionem ingrediuntur, sed præternaturaliter supra requisitæ mediocritatis activitatem evecta, sive sint sanguini extranea, eidemque præter naturam ad-

Y
mixta;

mixta; sunt tamen omnia ejusmodi, quæ fermentationem quandam, sive fervorem in sanguine excitant. Hoc autem excitato, principia dicta in concitato motu manere necesse est, nec unquam ad eliminationem parata, nisi postquam præcipitare apta, a cæterorum sanguinem componentium nexu fuerint liberata, & secretoriis poris glandularum aliquid excrementitium fecernentium proportionata. Cum autem quæ de genere activorum sunt, præsertim vero exaltata, præ eorum tenuitate, per glandulas sudoris, ut vere, & ætate potissimum sit, aut per illas renum, quod præsertim autumnus, & hyeme obtinetur, facilius fecernantur, quam per cæteras omnes, patet perraro futurum esse, ut intestinalium glandulis, & forte nunquam, proportionata existant. Nec officit tenuiora ea esse, quam quæ naturaliter solent per intestina deturbari, quæ viscida, & crassa sunt. Licet enim videantur prima facie debere posse subire poros ampliores, quam ipsa exigunt; nihilominus tamen duæ sunt potissimæ causæ, propter quas per intestinales glandulas non ita facile possunt fecerni. Est harum prima eorum multa mobilitas, ob quam fit, ut facile a fluente sanguinis rapiantur, & secretorios intestinalium glandularum poros eludant; altera est earundem glandularum poros viscidis, crassisque semper illitos esse, unde est, ut a consimilibus quidem ultro propelli queant, sicque cogantur noviter advenientibus locum cedere, a tenuioribus vero, celeriterque motis vix affici possint, ideoque illis hæc potius permanent irretitæ. Possunt quidem quæ ad concoctionem perducta sunt aliis emuntoriis accommodari, præsertim vero cutaneis, & renalibus glandulis, ac propterea per eas utiliter excerni. Hinc autem est, quod, cum vel ad sudorem, vel ad urinas regulariter Natura vergat in crisi bus per-

fectis pro acutorum morborum solutione, perperam ad intestina traherentur. Patet igitur regulariter in acutis passionibus purgantia medicamenta non esse adhibenda, contra quorum abusum in acutis morbis quantum reclamant probatiores tum præci, tum neoterici Auctores, non est ut adducam; ex tractatu namque de purgatione Dominici Parentis nostri manifestum fit, quam perniciosus eorum sit usus in dictis morbis. Experientia tamen compertum habemus, quandoque ni ex integro, ex parte saltem per inferiora judicatos fuisse morbos etiam acutos. Verum hisce quoque in casibus a catartics omnino est abstinendum. Cum enim catartica præter modum exagitent sanguinem, stimulisque afficiant quaslibet partes solidas, inductum a Natura criticum motum pluribus de causis perturbant. Præstat idcirco ea sola usurpare, quæ intestina recte disposita detinere valent, ut quæ a Natura eo diriguntur admittant. Propterea liquida conveniunt alvum subducentia, abstersiva potius, quam leniente facultate prædita, serum videlicet lactis depuratum, pulpa tamarindorum stillatitiis aquis dissoluta, atque id census alia; & ad summum ex lenientium genere quæ levissima sunt eligi possunt. Sed hæc in statu morbi, atque coctionis tempore sunt usurpanda.

At vero in morborum acutorum principiis medicamenta purgantia quandoque in usum vocari debent, sed admodum raro; tunc enim solum ea convenit adhibere, quando materia cruda copiosa adeo in sanguine sit, ut non tota intime ipsi sanguini permixta, quampiam sui portionem in sero solutam relinquat, sicque a cæteris sanguinis componentibus segregata ad quodpiam emuntorium dirigatur, & turgeat. Sed quoniam ea, quæ acutas passiones pariunt, activa sunt, ut diximus, ideoque tenuia, ce-

lerique perturbata motu, propterea regulariter nisi iis in locis sequestrari possunt, in quibus angustissimi sunt, & valde anfractuosi linguiferi ductus, cujusmodi sunt ad cutim maxime, ad renes proxime, minus ad intestina, unde est ut ea ad hæc perraro, frequentius ad renes, sæpissime ad sudoris glandulas appellant. Quod si aliquando intestinalibus potius, quam cæteris glandulis sint proportionata, id ex eo censendum, quod præ exuberante eorum abundantia majores coagmententur moleculæ, quam quæ cæteris emunctoriis proportionem habent; ideoque ab intestinalibus tantum glandulis excipi, perque eisdem vi trudi queant. Verum id quam raro eventurum sit, facile apparet.

Non ideo tamen est, quod in principiis morborum etiam acutorum alvum subducere aliquando non debeamus; si videlicet aut intestinis, aut ventriculo, aut utriusque, crassæ, viscidæque impuritates hæreant. Id non raro accidit in illis præsertim, qui ob errata in victu in acutas incidunt passionem, in quibus tenuioribus, activisque in sanguinem deductis, quæ lenta, & crassæ sunt in intestinis, sive in ventriculo subsident, ibique ad quandam veluti putrescentiam perduntur. Hinc acutam, pungentemque vim adeptæ, ipsa per se aut emeticam quampiam naturam, aut dejectoriam inducunt. At vero hisce in casibus materia morbifica cruda non tam ad primas vias, quam in eisdem turget. Et tunc quidem catartica medicamenta nullatenus sunt usurpanda, quæ, ut paulo antea dicebamus, actionem suam ultra intestina protrahunt, & in sanguineis vasis exerunt, ideoque universum sanguinem exagitant, & præter modum iundunt, unde maximum ægro afferunt detrimentum; sed vel blandum propinandum emeticum, vel per clysteres inferiora, ac crassæ abluenda intestina, vel ad summum levi aliquo

leniente intestinalis universus canalis a collectis, ipsique hærentibus impuritatibus est liberandus. Hæc profecto ab ipso Hippocrate administrata fuisse deprehendimus ex aliis Operibus suis, & præsertim ex Libris Epidemiorum.

ADNOTATIO IV.

JUre, & summo, prudentique consilio inculcat Hippocrates, si aliquando oporteat medicinis purgantibus uti in curatione acutarum passionum (quod in earundem principii faciendum esse jam probavimus) præmeditatione opus esse. Constat namque ex hætenus dictis perraro occurrere, ut ad inferiora ducere oporteat, scilicet duobus tantum in casibus omnino raris; nimirum aut quando materia morbifica concocta utiliter ad intestina erumpit, segni quo expulsiorem existente Natura, quo casu quænam remedia, potius quam catartica, sint usurpanda indicavimus; aut quando materia cruda præ nimia copia & crassitie, fortuito prorsus casu ad intestina, potius quam ad cæteras secretrices glandulas confluit. Tunc autem, quoniam sanguis valde a morbo exagitatus est, eximioque cietur fervore, præstat uti eis, quæ proposuimus, quando turgescencia in intestinis habetur; nam sic sollicitatur in intestinis excretio, novæque secretioni locus paratur, quod tuto perficitur.

Sed quod pro re hac summam præ cæteris præmeditationem exposulat, illud est, quod in Expositione leviter terigimus; videlicet ad intestina quandoque, nec tam raro, tenuia, & acria confluere, quæ ob stimulantem vim, quin immo incisivam, atque erosivam, nimiam in sanguine fusionem procreant, unde diarrhœæ, dysenterix, aliive alvi fluxus symptomati oboriuntur, fere semper mortis præ-

nuntii . Casus hos probe dignoscere oportet, qui ut distinguantur ab illis, in quibus materia cruda ad intestina, aut in intestinis turget, summam, & incredibilem requirunt præmeditationem. Quoties autem contingunt, tam falsum, & præter rationem est, purgantia, hoc est catartica, & ipsa quo-

que lenientia, aut quomodolibet alvum subducentia in usum esse vocanda, quin potius omnes adhibere conatus oporteat, ut alvus fistatur; ideoque incrassantia, subacida, attemperantia, alkalica, & quæ omnia ab intestinis humorum impetum revellere apta nata sunt, conveniunt.

APHORISMUS XXV.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: Si contra, difficulter.

EXPOSITIO.

Determinato ab Hippocrate in superiore Aphorismo, raro, & in principiis purgandum esse in acutis passionibus, nec nisi cum præmeditatione, claudit tandem tractationem suam de purgatione hac prima Sectione comprehensam sententia quadam, quæ non solum similis, sed ea eadem omnino est, quæ in principio secundi Aphorismi profert. Summo autem consilio; nimirum ut constet, eundem fortiri effectum purgationes arte celebratas, de quibus nunc sermonem habet, quem obtinent illæ, quæ a Natura sponte agente instituuntur, de quibus in secundo Aphorismo verba fecit: scilicet conferentiam, & facilem tolerantiam sequi, si bonæ fuerint purgationes, contrarium vero, si malæ. Et hæc est connexio hujus Aphorismi cum præcedente, Auctoris intentio, ratio intentionis.

Unica est sententia, cujus probatio eadem esse debet, quæ habetur primæ partis secundi Aphorismi, & est huiusmodi.

Illa purgatio talis est, qualis esse debet, qua educitur noxius humor; & contra. Sed purgatio, qua educitur noxius humor, est utilis; & contra. Ergo purgatio, quæ talis est, qualis esse debet, est utilis; & contra. Subsumo. Sed quæ pur-

purgatio utilis est, fit cum conferentia, & facili tolerantia; & contra. Ergo purgatio, quæ talis est, qualis esse debet, fit cum conferentia, & facili tolerantia; & contra.

Conferentia autem importat evacuationem noxii humoris, quam morbi ablatio sequi debet, sive saltem imminutio: Levis vero, & facilis tolerantia importat, noxium humorem tantummodo, aut saltem quo ad potissimam partem purgari. Si enim cum noxio utilis etiam humor magna copia exturbaretur, utique levis haberi non posset, & facilis tolerantia.

Hæc de postremo primæ sectionis Aphorismo dicta sint satis.

ADNOTATIONES.

ADNOTATIO I.

EAndem esse prorsus sententiam, quæ Aphorismo hoc vigesimo quinto habetur, ac quæ in prima sectionis Aphorismi parte continetur, non est cur negemus; sed cum in secundo Aphorismo prolata fuerit ab Hippocrate de purgationibus sponte Naturæ factis, hic assertur de artificialibus, quarum effectum eundem fore asserit, ac spontanearum, scilicet conferentiam, & facilem tolerantiam. Verum quoniam de purgationibus arte jam celebratis (quod ad Aphorismum vigesimum tertium quoque adnotavimus) parum refert scire, num utiles fuerint, & cum facili tolerantia, num noxiæ, & cum difficili tolerantia; male enim peracta purgatio, cum corrigi nullatenus possit, exposcit, ut quod attulit detrimentum, emendetur. Hinc est, ut, quemadmodum in ea sententia fuimus, ut crederemus, Cum Senem in vigesimo tertio Aphorismo locutum esse de stabilienda quantitate purgationum faciendarum; ita censuimus de purgationibus celebrandis in hoc vigesimo quinto sermonem habere relate ad excernendorum qualitatem.

Rem autem in hunc modum concipimus. Certum est, purgationes faciendas a Medico, Naturæ recte operantis imitatore, requirere pro norma illas, quæ utiliter a Natura instituuntur; in quibus quoniam id accidit, ut noxio expulso humore, conferentia, & facilis tolerantia habeantur, propterea eadem prorsus eventura erunt, si celebrandæ purgationes noxia eduxerint, idest si purgata fuerint talia, qualia purgari oportet; oportet namque noxia purgare. At vero si Medicus educere noxia voluerit, oportet ipsum conferre sibi conceditum purgandum ægrum cum illis, qui similem morbum, similibusque symptomatibus stipatum habuerunt, qui in simili constituti ætate fuerunt, qui similem habitabant regionem, qui eadem tempestate anni ægrotabant, qui idem morbi tempus percurrerant &c., & in quibus Natura utilem instituit alicujus humoris evacuationem per inferiora purgando. Si hæc, ceterasque omnes requisitas circumstantias contulerit cum illis, de quibus quam maximam poruit experientiam sibi comparavit per Naturæ recte, utiliterque agentis sedulam, diligentem, & assiduam obser-

servationem; tuto etiam purgationem dirigere poterit in suo ægro instituentem pro simili humore e corpore deturbando. Cum autem hic ille idem esse debeat, qui utiliter a Natura eductus fuit in ægrotantibus undequaque similibus; similes namque causæ, & in similibus circumstantiis constitutæ similes producere debent effectus; propterea utiliter educendus est etiam coacta purgatione, idemque effectus consecuturus est conferentiæ, & facili tolerantia. Atque hinc tandem defumitur pharmaci ad purgationem faciendam electio.

ADNOTATIO II.

Porro si qua diximus ratione Aphorismus hic vigesimus quintus explicetur, adeo superfluous non est (etsi eisdem prorsus terminis expressus, ac prima secundi Aphorismi particula) ut præceptum immo vero sit apprime utile, quin etiam necessarium, ad quod quæcunque ad secundum Aphorismum tum quo ad primam, tum quo ad ultimam particulam adnotavimus, pertinent; quæ quoniam ibi explicata fuerunt, frustra hic repeterentur.



I N I S.


ADNOTATIO III.

Superfluum erat, Hippocratem repetere in vigesimo quinto hoc Aphorismo, inspiciendam esse regionem, tempus, ætatem, & morbos &c. Statim enim ac, ut utiles arte fiant purgationes, inducenda experientia est earum, quas Natura in similibus casibus sponte, & utiliter fecit, fuit per se, conferendas esse conditiones ægri arte purgandi, cum illis ægrorum a Natura sponte agente utiliter purgatorum. Quamobrem præterquamquod de aphoristica brevitate fuit eas reticere, illud præterea accedit, minime e re fuisse, pro faciendis purgationibus ea in medium adducere, quæ in sponte factis a Natura observanda contingunt, & ad quæ unice referendæ sunt, immo potius cum iisdem comparandæ purgandi ægri conditiones, ut proportionatum pharmacum eligatur. Ex hac autem comparatione si omnia in purgandis ægris cum omnibus in purgatis a Natura utiliter consenserint, illud necessario fore consequitur, ut purgationes a Medico instituendæ eventuræ sint cum conferentia, & facili tolerantia.



I N D E X

Prælectionum, Aphorismorum cum suis Expositionibus, & Adnotationum.



P <i>Prælectio prima.</i> De legitima Commentationum medicarum methodo.	pag. 7.
<i>Prælectio secunda.</i> De præstantia, five commodis, & incommodis Doctrinæ Aphoristicæ.	16.
<i>Prælectio tertia.</i> Quod optimus Interpres Aphorismorum Hip- pocratis is solus esse potest, qui optimus Medicus sit.	25.
<i>Aphorismus I., & ejus Expositio.</i>	33.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	34.
<i>Aphorismus II., & ejus Expositio.</i>	39.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	41.
<i>Aphorismus III., & ejus Expositio.</i>	48.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	50.
<i>Aphorismus IV., & ejus Expositio.</i>	61.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	63.
<i>Aphorismus V., & ejus Expositio.</i>	69.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	70.
<i>Aphorismus VI., & ejus Expositio.</i>	72.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	73.
<i>Aphorismus VII., & ejus Expositio.</i>	77.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	78.
<i>Aphorismus VIII., & ejus Expositio.</i>	80.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	81.
<i>Aphorismus IX., & ejus Expositio.</i>	84.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	86.
<i>Aphorismus X, & ejus Expositio.</i>	88.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	89.

<i>Aphorismus XI., & ejus Expositio.</i>	93.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	94.
<i>Aphorismus XII., & ejus Expositio.</i>	98.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	99.
<i>Aphorismus XIII., & ejus Expositio.</i>	104.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	106.
<i>Aphorismus XIV., & ejus Expositio.</i>	112.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	114.
<i>Aphorismus XV., & ejus Expositio.</i>	121.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	122.
<i>Aphorismus XVI., & ejus Expositio.</i>	130.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	132.
<i>Aphorismus XVII., & ejus Expositio.</i>	134.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	135.
<i>Aphorismus XVIII., & ejus Expositio.</i>	138.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	140.
<i>Aphorismus XIX., & ejus Expositio.</i>	144.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	145.
<i>Aphorismus XX., & ejus Expositio.</i>	148.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	149.
<i>Aphorismus XXI., & ejus Expositio.</i>	152.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	153.
<i>Aphorismus XXII., & ejus Expositio.</i>	156.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	158.
<i>Aphorismus XXIII., & ejus Expositio.</i>	162.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	164.
<i>Aphorismus XXIV., & ejus Expositio.</i>	167.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	168.
<i>Aphorismus XXV., & ejus Expositio.</i>	172.
<i>Ejusdem Adnotationes.</i>	173.

INDEX RERUM.

A

- A**ccessio quid esse intelligatur. pag. 94. sine circuitu dupliciter intelligi potest; & quomodo. 95. quo sensu sumi debeat in Aphorismo decimo nono. 145., & seq.
- Accessiones, & constitutiones quomodo ab Hippocrate intelligantur in decimo secundo Aphorismo. 100.
- Ætas quot, quibusque modis sumatur. 106., & seq.
- Ætates recensentur, & in suas partes dividuntur. 107., & seq. in quot & quales partes divisæ fuerint ab Hippocrate, & Galeno. 108.
- Alimentum necessarium est animalibus ad vires conservandas. 64.
- Alvus non raro subducenda est in principiis morborum acutorum; quibus de causis, & quibus medicamentis. 171.
- Amphibologia duplex est, vel in verbis, vel in syntaxi; & quando sit in verbis, & quando in syntaxi. 9.
- Antiqui ad quamnam sanguinis vitia respexerint; & quomodo constituerint, & vocaverint. 50.
- Aphorismus primus intelligi non potest nisi de Artis constitutione. 34. intelligi non potest de Medicina in abstracto. *ibid.* intelligi debet de Medicina in concreto. *ibid.* intelligi non potest de habitu acquisito, neque de habitu acquirendo ad alterius similitudinem, neque de exercitio medico, & quibus de rationibus. 35. intelligendus est de habitu acquirendo in se, & primario. *ibid.* apte referatur ad probandam Artem medicam longam in sui constitutione. 38.
- Aphorismus secundus primæ sectionis quas regulas exhibeat; & quamnam necessaria sint, ut intelligatur. 26.
- Aphorismus tertius primæ sectionis de quibus agat; & quas exposcat notitias, ut recte possit intelligi. 27. quo doctrinæ ordine connectatur cum secundo. 61.
- Aphorismus quartus debet intelligi de vasorum inanitione; quod ratione deducitur ex ipsis Aphorismi verbis, licet in eodem de ea nihil dicat Hippocrates. 67.
- Aphorismus sextus, licet contineat propositionem universalem, tamen ad diatandi rationem referri debet; quod ostenditur. 76.
- Aphorismus septimus quomodo cum tribus superioribus connectatur. 80.
- Aphorismus decimus de quibus morbis loquatur. 90. latius patet, quam septimus. *ibid.* cum nono apte admodum connectitur; & quomodo. 91., & seq.
- Aphorismus undecimus explicatur. 96.
- Aphorismus duodecimus cum nono potius, aut decimo, quam cum undecimo connectitur, & quomodo. 99. continet fundamenta primæ conjecturæ. 100.
- Aphorismus decimus tertius quomodo cum duodecimo connectatur. 106.
- Aphorismus decimus quintus totus innititur sententiæ Antiquorum de calido innato. 123. breviter explanatur. 127.
- Aphorismus decimus septimus agit de modo alendorum agrorum. 135.
- Aphorismus decimus octavus pertinet ad cibi partitionem faciendam singulis diebus, & respicit peculiariter vires ventriculi, cæterarumque causarum chylicantium; quod explicatur. 140., & seq.
- Aphorismus decimus nonus loquitur de morbis periodicis. 145.
- Aphorismus vigesimus, quo ad ea, quæ iudicata sunt, intelligi non potest nisi de novationibus. 152.
- Aphorismus vigesimus primus agit de criticis, sed non integris evacuationibus. 153. potest extendi ad abscessus salutare; quod ostenditur. 155.
- Aphorismus vigesimus secundus agit de tempore faciendorum purgationum; quod ostenditur. 158.
- Aphorismus vigesimus tertius agit de purgatione stricta significatione sumpta. 164. totus intelligi debet de purgationibus faciendis; & quare. *ibid.* totus item interpretari debet de quantitate dejectionum; & quomodo. 165., & seq.
- Aphorismus vigesimus quintus idem est, eisdemque prolatus terminis, ac prima pars secundi. 173. ab hac tamen differt; & quomodo. *ibid.* si recte intelligatur, superfluum non est; & quare. 174.
- Aphorismus concinnatur multo universalior, & verior secundo Hippocratico. 47., & seq.
- Aphorismi, ne ridiculi evadant, certas leges requirunt. 19. quid sint. 38. comparantur propositionibus geometricis, & adagiis; plurimique sunt usus. 20.
- Aphorismi Hippocratis quid sint. 23. in-

prima sectione comprehensam a quarto usque ad decimum nonum doctrinam tradunt de diatandi ratione. 27. primæ sectionis a vigesimo usque ad finem ejusdem sectionis de quibus agant; & pro eorum intelligentia exposcunt notitiam exactam maximorum, quibus universa Medicina constat. *ibid.* omnes Hippocratis quas requirant scientias, ut quæ ipsi continentur intelligantur. 28.

Ars medica longa est relative solum; & cur. 35. longa dici non potest, nisi de habitu acquirendo. *ibid.* probari potest longa etiam ut disciplina, contra Galenum. *ibid.* longa est in constitutione. *ibid.*

Ars gymnastica quænam, & quotuplex fuerit. 51.

Assumptio cibi venit nomine victus. 64. Athletæ quos labores sustinerent; & quomodo ad summum bonitatis, & plenitudinem humorum pertingerent. 52.

Auctores varii varias elegerunt scribendi methodos; & pluribus de causis. 16. aphoristice scribentes plures habent laudatores, sed paucos imitatores; & quibus de causis. 21. nonnulli digesserunt Aphorismos Hippocratis sub certis capitibus, & ordinatos reddiderunt; alii carminibus expresserunt. 22.

Autumnus in quas partes dividatur. 123. conjungendus est cum ætate, ad Hippocratis similitudinem, qui in decimo quinto Aphorismo verum cum hyeme conjungit. *ibid.* quibus sui partibus sit cum ætate conjungendus. *ibid.*

B

Baroccius improbatum laudans Aphorismum undecimum, eo quod dicti rationem contineat. 97.

C

Calor innatus plurimus in pueris, paucus in senibus, media ratione proportionaliter, & quidem regulariter, etiam si calor sit reparabilis, ostenditur in sententia Dominici Guilielmi. 117.

Catastasis quomodo latino sermone vertatur. 102. ad varia relata diversa significat; quid vero significet relata ad morbos. *ibid.*

Cavitates, quæ ventrium nomine intelligentæ sunt in Aphorismo decimo quinto, quænam sint. 123.

Causa, propter quam, inter innumerum Commentatores Aphorismorum Hippocratis, pauci legitimas ediderint Commentationes, est quia paucissimi optimi Medici sunt. 31.

Causa periculi ex habitu atletico summa, & extreme bono adducta ab Hippocrate moralis est, & quænam; cui innitatur; & quomodo valeat ad persuadendum. 52.

Causa adducitur, cur Hippocrates in quarto Aphorismo indeterminatum reliquerit quinam sint morbi acuti, in quibus victus tenuis, & exquisitus non convenit. 67.

Causa inquiritur, ob quam Hippocrates in Aphorismo decimo octavo verum media naturæ constituat inter hyemem, & æstatem, contra ac fecit in decimo quinto, ubi verum cum hyeme conjungit; eademque adducitur. 141. & *seq.*

Causæ obscuritatis intrinsecæ quot, & quænam sint. 9. extrinsecæ sunt in legente. *ibid.* a legente sunt potius impedita claritatis; hæc autem quomodo auferenda. 13.

Causæ famis quænam probabiliter sint. 109. & *seq.*

Causæ adducuntur, ob quas juvenes regulariter magis fame vexantur, quam senes; & cæteri proportionaliter. 110.

Causæ inquiruntur, & indicantur, propter quas Hippocrates in Aphorismo decimo octavo autumnum ætati copulavit. 142. & *seq.*

Celeritas varia morborum acutorum his discernitur tantum in suis differentiis. 168. Character peculiaris habetur in unoquoque Scriptore. 16.

Cibus, & potus magis, minusve reparant sanguinem pro ipsorum varia quantitate; & qualitate. 64.

Cibi inserviunt ad sanguinis reparationem. 64.

Commentator Aphorismorum Hippocratis aptus esse non potest, qui simul non sit optimus Medicus; quod probatur testimonio Galeni, & animadversione primæ sectionis Aphorismorum. 26. & *seq.*

Commentatores Aphorismorum Hippocratis plerique pluribus scætant vitis; & quibus præcipue. 22. paucissimi rem acu attingerunt. 23. plerique peccant, sententes secundo Aphorismo primæ sectionis tradi regulas optimæ purgationis. 26. injuria increpant Hippocratem de uniformitate sententiarum in Aphorismo septimo, & decimo. 90.

Commentationes excogitatae sunt pro remediis incommodorum Doctrinæ aphoristicæ. 19.

Commentationes Aphorismorum Hippocratis quos promant effectus. 22. probantur, sed medicæ tantum, & utiles; earumque triplex numerus adducitur. 23. ex innumeris, quæ prostant, vix ulla habentur legitima. 25.

Commoda Doctrinae aphoristicae proponuntur. 19.
 Comoda, & incommoda aphoristicae Doctrinae invicem comparantur. 21.
 Comoda Doctrinae aphoristicae augeri possunt adjunctione methodica. 23.
 Concoctio materiei crudae quomodo contingat; & praecipuae cruditatis differentiae, ac harum effectus indicantur. 150. & seq.
 Compressiones quid sint, & quomodo intelligendae. 59. ad extremum non perducentur, ostendunt, solutionem habitus athletici perficiendam esse ope phlebotomiae. *ibid.* ad extremum perductae periculosae sunt. *ibid.*
 Conditiones crisis perfectae a Galeno propositae enumerantur. 150.
 Conditiones observandae in purgatione ab Hippocrate propositae in secundo Aphorismo, consulto, & sapienter ab eodem omittuntur in Aphorismo vigesimo quinto; & quibus de causis. 174.
 Conferentia, & facilis tolerantia quomodo possint esse signa bonae purgationis, quo ad quantitatem, & modum humoris educiti. 44., & seq.
 Conjectura proposita ab Hippocrate in nono Aphorismo ad quot, & quamnam referri possit. 86. eadem aliquam necessario sinit dubietatem; & quare. 87. duplex est, & qualis. 100.
 Conjectura quid sit, quibusque inniti debeat, ne sit temeraria. 88.
 Connexio Aphorismis decimi septimi cum superioribus quamnam sit. 135.
 Consideratio indicata ab Hippocrate in Aphorismo decimo septimo quamnam debeat respicere. 136.
 Consistentia morbi refertur ad materiae concoctionem & crises. 84.
 Consuetudo quid importet. 137.
 Contenta in decimo secundo Aphorismo quomodo indicent accessiones. 100., & seq. quomodo valeant ad indicandas accessiones, & constitutiones. 102., & seq. omnia animadvertenda sunt, quae tamen ad propositum morbum spectant. 104.
 Contenta in Aphorismo vigesimo quarto distincte recensentur. 169.
 Contradictio duplex est, & quamnam. 12. in eodem textu vera non est, sed apparens; & quomodo concilianda. *ibid.* in locis disparatis non semper conciliari debet; & cur. *ibid.* quando exigat repugnantium. propositum concordiam; & hinc quamnam utilitas. *ibid.*
 Contrarietas quamnam habeatur inter victum extreme tenuem, & extremam repletionem; id inquiritur, & explicatur. 67.
 Corpus nostrum ex quibus partibus universaliter constat. 50.

Crisis quid sit, & unde derivetur. 149. praeter alias differentias, quas habet, potest esse aut integra, aut non integra. 150. perfecta distinguenda est ab integra; & quomodo. *ibid.*
 Criteria sex numerantur notam referentia, legitimi sensus, & quamnam sint. 10., & seq. haec quomodo usurpanda sint pro remedio amphibologiae, aut figuratae orationis. 11. omnia quandoque simul juncta, non sufficiunt, & quando praecipue; tuncque omnis interpretatio est omittenda. *ibid.*
 Criteria veritatis praecipua sunt perspicuitas, & ordo. 18.
 Cruda sub duplici differentia considerari possunt; & quomodo. 158.

D

Defectio animi, quo ad purgationes, eodem sensu intelligi potest, quo eam. Celsus intelligit, relate ad sanguinis missionem. 166. quomodo sit intelligenda. *ibid.*
 Denominationes morborum acutorum, & peracutorum desumptae sunt a posteriori; stricte tenendae non sunt; & quare. 64.
 Depletio valorum universalium est effectus cujuslibet evacuationis generatim sumptae. 43.
 Difficultas proponitur contra sententiam decimi quinti Aphorismi, quae diluitur; & declaratur quomodo veritas probata ejusdem Aphorismi sit intelligenda. 125., & seq.
 Discrimen innuitur intercedens inter commentationes Aphorismorum Hippocratis, & illas Operum caeterorum Auctorum. 31. & seq.
 Discrimen ostenditur inter methodum, qua Hippocrates usus est in concinnando quarto Aphorismo, & eam, qua usus est Auctor Expositionum in ejusdem Expositione; & ostenditur utraque methodo remperduci ad eundem finem. 68., & seq.
 Discrimen quodnam ab aliquibus asseritur inter accessionem, paroxysmum, & exacerbationem. 94., & seq.
 Discrimen asseritur morborum periodicorum, & erraticorum. 95.
 Discrimen adducitur intercedens inter septimum, & decimum Aphorismum. 90.
 Discrimen animadvertitur intercedens inter phrasim undecimi, & illam decimi noni Aphorismi; & inde eruitur diversa Hippocratis intentio in distis Aphorismis. 146.
 Discrimen interesse demonstratur inter secundam partem Aphorismi undecimi, & Aphorismum decimum nonum. 147., & seq.

Diferimen declaratur simplicis faciendæ motionis materiæ crudæ, & ejusdem non solum movendæ, sed etiam medicandæ. 160.

Distinctio perfecti ab incomperito quam asferat utilitatem. 13.

Diverfitas Methodorum notatur in primo sermonis usu; & cur. 16. major etiam animadvertitur post inventam artem scribendi; & cur. *ibid.* unde orta. *ibid.*

Divisio ætatum diversa proponitur a diversis Auctoribus; illa autem in re ipsa constituta est, quæ fundamentum habet in mutationibus corpori advenientibus; & hæc admittitur. 107.

Doctrina aphoristica comparatur cum methodica; & cur. 17. occurrit prolixitati methodicæ. 19. quid sit. *ibid.* brevis est; & quibus de causis. 20. est præsidium ad memoriam; & quibus de causis. *ibid.* veritatem præferret. *ibid.* explicata in Scholis non hæret in vestibulo. *ibid.* dat specimen sui Auctoris; & cur. *ibid.* abscindit omnia superflua, & retinet solum copiam observationum, & rationes evidentes. 21. laborat obscuritate; & quibus de causis. *ibid.* requirit fidem in legente. *ibid.* non satis memoriæ subvenit; & quibus de causis. *ibid.* methodicæ copulata retinet utriusque utilitates. 23.

Doctrina methodica describitur. 17. usitatissima est, & summo plausu excepta; & cur. 18. perspicua est; & quibus de causis. *ibid.* est etiam integra. *ibid.* commoda habet majora, quam qualibet alia methodus, si tamen perfecta sit, quod raro contingit. *ibid.* multa etiam habet incommoda ipsi partim intrinseca, partim extrinseca. 19. in exercitationibus publicis semper mutila est, & potiorum deficiens. *ibid.*

Doctrina de dixandi ratione tertiam Medicinæ partem æquat, & in schola hippocratica pene totam. 27.

Doctrina ab Hippocrate exposulata in Medico qualis esse debeat, & quarum scientiarum exactam notitiam prærequirat. 30.

Dubium, utrum superent commoda, an incommoda Doctrinæ aphoristicæ. 22.

Dubium, num unquam scientia aliqua poterit aphoristice tractari. 22.

Dubium movetur, num crisis integra disse- rat a perfecta. 150.

B

Effectus gymnasticorum exercitiorum quot, & quinam sint. 51.

Effectus præcipui frictionum quot, & quinam sint. 57.

Effectus bini præcipui indicantur largæ missionis sanguinis, & quinam sint. 59., & *seq.*

Effectus præcipui proponuntur victus tenuissimi; & quæ mala inde consequantur. 65. & *seq.*

Effectus præcipui recensentur victus non exquisitè tenuis. 66.

Effectus famis inquiruntur; & eisdem confirmatur veritas Aphorismi decimi tertii. 110.

Enumerata ab Hippocrate in ultima secundæ Aphorismi parte, aliaque consimilia sunt illa, quæ reddunt utilem observationem ab eodem propositam in primis duabus dicti Aphorismi partibus; & cur. Sunt autem referenda ad observationem. 45.

Errata in quinto Aphorismo ab Hippocrate enuntiata, nec ab eodem statuta, quarum sint, qualia sint intelligenda. 71. eadem gravia dicta, & difficile tolerabilia intelligenda sunt quo ad ægros de victu tenui, & exquisito; quo vero ad sanos, de constituto etiam, relate ad victum paulo pleniorum. *ibid.*

Evacuatio dicitur de quolibet e corpore decedente. 42.

Evacuatio, ad tollendum habitum plethoricum, debet fieri totius sanguinis; idque eruitur ex finali ratione ab Hippocrate adducta. 55.

Evacuata quam proprie dicantur. 42.

Evacuaciones quot, quibusque modis institui possint. 55.

Exercitati in gymnastica medica quam sibi agenda eligerent. 51.

Exercitati in gymnastica bellica quibus indulgerent laboribus. 52.

Experientia quibus acquiratur. 36.

Experientia, quam comparare nobis possumus observatione purgationum sponte Naturæ accidentium, augeat observationem purgationum Arte celebratarum, & undequaque respondentium sponte Naturæ contingentibus. 167.

Experimentum dictum ab Hippocrate periculosum, est medicum. 36.

Experimentum medicum duplex est, & quale. 36.

Experimentum extra hominem institutum, non est periculosum; at quidem in homine factum. 36.

Experimentum in homine, ut periculosum, est in Medicina agente, contra nullatenus est in docente; ideoque intelligi non potest de habitu acquisito, nec acquirendo ad alterius similitudinem. 37.

Extremitas tum morbi, tum remedii, quomodo sit intelligenda. 76.

FActa sponte Naturæ ad quam pertine-
re possint. 41. & seq.

Fames quid sit; & ubi sedem habeat. 109.

Febris quomodo a Dominico Gulielmino de-
finitur. 120. morbus calidus est. 132.

Febris natura in quo consistat. 132.

Febres senibus non admodum acutæ fiunt ex
Hippocrate. 120. id ipsum ostenditur in
sententia Dominici Gulielmini. *ibid.*

Finis commentationum qualis sit. 9.

Fluida corporis, generice loquendo, quot
sint. 50.

Fluida particularia, solidis recte constitutis,
sequuntur conditiones sanguinis. 50.

Fonculi non conveniunt in modo pro ha-
bitu summe tollendo. 58.

Friciones non valent habitum simpliciter
plethoricum solvere; & qua de causa. 57.

G

Galenus, & plerique Commentatores in-
jur. i in Hippocratem sunt, trahendo
primum Aphorismum ad plura; & cur.
38.

Gymnastica medica summe laudatur ab Au-
ctoribus; potissimum ab Hippocrate, &
Galeno. 51.

Gymnastica bellica vix differabat in labori-
bus a medica; plurimum vero in quali-
tate exercitiorum. 52.

H

Habitus scientifici hauriuntur a sola do-
ctrina methodica. 18.

Habitus acquirendus duplex esse potest, &
quinam. 35.

Habitus plethoricus evacuatione est solven-
dus. 55.

Hippocrates qualis fuerit vir. 7. & seq.
laudatus a Macrobio, Celso, & Quintilia-
no. 8.

Hippocrates locutus non est de experimento
extra homines, sed in homine. 37.

Hippocrates injuria a nonnullis crimina-
tur, quod in limine Aphorismorum Ty-
rones deterreat. 38.

Hippocrates in secundo Aphorismo oppor-
tune proponit observationem sponte con-
tingentium; & cur. 41. jure ab eadem
observatione exorditur; & quare. 42. in
eodem Aphorismo supponit cognitam natu-
ram humoris excreti. *ibid.* apposite
adducit pro signis bonæ purgationis con-
ferentiam, & facilem levemque toleran-
tiam. *ibid.* male interpretatus a Commen-
tatoribus fere omnibus, post Galenum, in

secunda parte secundi Aphorismi; & quo-
modo interpretandus. 43. & seq. de quan-
tate vasorum inanitione peculiariter dixisse
intelligendus sit. 44.

Hippocrates in tertio Aphorismo agit de
quantitate humorum nullo alio vitio pec-
cantium. 50. de cujus fluidi quantitate
loquatur. *ibid.* jure Athletarum habitum
proposuit ad indicandam humorum multi-
tudinem. 52. habitum athleticum summe,
& extreme bonum periculofum declarat.
ibid. pro remedio habitus plethorici pro-
ponit ejusdem subitam solutionem. 55.
tradit tantum regulam compressionum faci-
endarum; mensuram autem earundem non
docet, nec docere poterat; & cur. 60. pro e-
vacuationibus ad extremum deductis intel-
ligit purgationes quaslibet; & cur eas di-
cat periculofas. *ibid.* pro refectioibus ex-
tremis intelligit celeres refectioes; &
cur istæ sint periculofæ. 61.

Hippocrates in quarto Aphorismo opportu-
ne, & scite loquitur de visu potius, quam
de inanitione; & quare. 67. cur dicat visum
tenuem, & exquisitum periculofum; visum
vero extreme tenuem tantum gravem. 68.

Hippocrates in sexto Aphorismo supponit
remedia proportionem habentia morbo
tum in re, rum in qualitate; & ratio ad-
ducitur. 74. & seq. intelligit remedia ex-
trema morbis convenire quo ad quantita-
tem, & modum. 75.

Hippocrates in septimo Aphorismo de qui-
bus acutis morbis loquatur. 78. sumit
morbos peracutos pro norma ad regulam
generalem tradendam dietandarum agro-
rum in quolibet acuto morbo. 79.

Hippocrates in nono Aphorismo apte propo-
nit conjecturam pro regula dietandarum
agrorum ante morbi consistentiam. 85.

Hippocrates difficulter liberatur a superflui-
tate in undecimo Aphorismo; & cur; quo-
modo autem ab eadem possit aliquantulum li-
berari. 95. & seq.

Hippocrates cur in duodecimo Aphorismo
accessionibus constitutiones adjungat. 102.

Hippocrates adducit in Aphorismo decimo
quinto ætates, & Athletas pro similitudi-
ne; quod jure ipsum facere ostenditur.
129. & seq.

Hippocrates ad quot, & quamnam respexerit,
stabiendo in decimo sexto Aphorismo,
visum humidum Febricitantibus om-
nibus conferre. 132. & seq.

Hippocrates quosnam morbos respiciat in
Aphorismo decimo septimo. 136. quo
tendat, dicendo in fine ejusdem Aphorismi
condonandum aliquid tempori, ætati,
& consuetudini; & quomodo a superflui-
tate liberetur. 137.

- Hippocrates cur in Aphorismo decimo octavo hyemem a vere distinguat, contra ac fecit in decimo quinto. 140.
- Hippocrates in vigesimo primo Aphorismo proponit observationem faciendam a posteriori maximæ tendentiæ humoris peccantis ad quempiam locum. 153.
- Hirudines ad quaslibet partes applicatæ remedium sunt frequenter inadæquatum, licet aptum, ad solvendum habitum summe plethoricum; & quibus de rationibus. 58.
- Homines non possunt perdurare in totali inedia per septem dies, ex Hippocrate. 78.

I

- J**ejunium ferre quid significet. 109.
- Inanitione vasorum commemorata ab Hippocrate in secunda parte Aphorismi secundi importat depletionem vasorum universalium. 43. talis, qualis fieri debet, referenda est ad quantitatem humoris excreti; & quomodo, ac de quibus vasis sit intelligenda. 44.
- Incommoda Doctrinæ methodicæ extrinseca plura recensentur; quæ tamen sunt vitia humanæ imbecillitatis, non Methodi. 19.
- Incommoda proponuntur Doctrinæ aphoristicæ, quæ partim intrinseca sunt, partim extrinseca. 21. extrinseca majora sunt, quam intrinseca, & quænam. *ibid.*, & seq.
- Inconferentia, & gravis tolerantia, multo magis noxa, sunt signa malæ purgationis tum quo ad qualitatem, tum quo ad quantitatem. 45.
- Industria ab Hippocrate in Medico requisita ad quænam sit dirigenda. 31.
- Inedia evacuat non per se, sed per accidens. 56. & 57. licet totum sanguinem minuat, tamen non est opportuna ad solvendum habitum summe plethoricum; & quare. 56.
- Institutio a puero, & locus studiis aptus, cur ab Hippocrate exigantur in addiscente Medicinam. 30.
- Institutio a puero qualis esse debeat, & quo ordine. 31.
- Integritas scientiæ non requirenda est in Doctrina aphoristica. 23.
- Intentio Hippocratis in Aphorismis conscribendis quænam fuerit. 38. in decimo quarto Aphorismo qualis fuerit. 114. in decimo septimo Aphorismo quænam sit. 136. in vigesimo primo Aphorismo probabiliter fuit loquendi etiam de imperfectis criticis Naturæ motibus, scilicet de crisisibus, quæ sunt ad abscissum; & quibus de rationibus. 155. in condendis Aphorismis vigesimo, & vigesimo primo quænam probabiliter videatur. 156.

- Interfecti inedia reperti sunt non pauca sanguinis quantitate præditi; & quare. 65.
- Interfecti fame reperti sunt exigua sanguinis quantitate præditi, fluxillis in vasis, concreti in visceribus; & cur. 66.
- Interpres Hippocratis habentur nostris temporibus absolutissimi; & quinam sint præcipui. 9.
- Judicium dupliciter intelligi potest cum Galeno; & quomodo. 37. jure ab Hippocrate dicitur difficile, præsertim loquendo de Artis constitutione; & quibus de rationibus. *ibid.*
- Judicationes nihil aliud significant, quam crises. 149. in vero sensu medico important sensibiles morborum solutiones. *ibid.*

L

- L**abores morborum quomodo sint intelligendi. 79.
- Lex exacta necessaria, ex Petronii Arbitri consilio, magnum quodpiam inhiant. 29.
- Lex Naturæ in hominibus ægrotantibus quomodo ostendat Aphorismi octavi veritatem. 83.
- Leges quinque recensentur ad condendos Aphorismos; & quænam sint. 8.
- Libri Hippocratis legitimi quibus iudicii discriminentur a spuris. 8.
- Locutio indefinita quænam remedia exposcat. 12.
- Longitudo Artis referri debet ad tempus. 35.

M

- M**ateria perspirationis duplex considerari potest; & quomodo. 124.
- Materia morbifica cruda quænam sit. 159.
- Tota habetur in principiis morborum; quæ si turget, vel movenda simpliciter, vel medicanda est. 161.
- Materia cruda turgens quænam sit ex Galeno. 161. quænam ab Hippocrate intellecta fuerit. 162. quænam vere sit statuenda. 161. quomodo, & quando vel movenda tantummodo sit, vel evacuanda. *ibid.*
- Materia peccans quot, quibusque modis possit ad quempiam locum maxime vergere. 154. ad princeps membrum tendens revellenda est ex Hippocratis præscripto. 155.
- Media, seu duces, quibus ex Hippocrate ad summum Medicinæ fastigium perveniri potest, quot, & quænam sint. 28. non satis sunt qualiacunque, sed perfecta requiruntur. *ibid.*
- Medicus valde prudenter se gerere debet in ad-

adminiftratione remedii extremi . 76. quam præſtare debeat ut ſegni Naturæ adju- trices manus præbeat ad noxia e corpore expellenda . 154. opem ferre debet Naturæ vergenti etiam ad ſalutarem abſceſſum ; & qua de cauſa . *ibid.* & ſeq. debet opportuno tempore crifes curare, viam etiam non præmonſtrante Natura ; & quomodo in hoc opere ſe gerere debeat . 155. & ſeq.

Medici nomine , & fama tantum, præſumunt ſe eſſe Medicos re , & opere . 28.

Medicina conſiderari poteſt in abſtracto , & in concreto . 34.

Medicina in abſtracto quid ſit . 34. ſcientia eſt in ſolo Deo . *ibid.*

Medicina in concreto quomplex conſiderari poteſt . 34. referitur ad Artiſicem . *ibid.*

Medicina ut habitus acquiſitus quomodo in Artiſice reſideat . 34. ſcientia eſt , & longa eſſe non poteſt ; neque referri poteſt ad opus , neque ad media acquisitionis . 35.

Medicamenta purgantia intelligenda ſunt cataracta . 169. oſtenditur in acutis morbis regulariter non convenire . 170. perraro in principiis acutorum morborum ſunt uſurpanda . *ibid.* & ſeq. quando adhibenda ſint in principiis morborum acutorum . 171.

Medicamenta quam , & quando convenient , quoties Natura tentat ſolutionem morborum acutorum alvina excretionem . 170.

Mens Hippocratis in ſecundo Aphoriſmo quædam fuerit . 47.

Methodus Auſtorum explicandorum ſequenda non eſt citra examen ; & cur ; non tamen ſine ratione eſt dimittenda . 17.

Methodus aphoriſtica quo tendat . 8. laudatur , ſed ſuis inconmodis levata . 23.

Methodi diverſæ indicantur , & diverſi characteres Hippocratis , Galeni , & Avicennæ . 16.

Modus alendorum ægrorum quid reſpiciat . 135.

Morbus acutus ubi , & quomodo ab Hippocrate definiatur . 168. quomodo definiendus ſit . 169.

Morbus extremus quinam ſit , & quomodo intelligendus . 75. magis periculofus eſſe debet , quam remedium extremum . 76.

Morbi omnes ſuam habent durationem , & ſuum exitum , a quibus nonnullas fortiuntur differentias , & quales ; ſicuti etiam ex eorundem combinatione . 63.

Morbi fluidorum in re , ſeu eſſentia , quot , & quinam ſint ; & ſemper tolli debent remediis iſtis adverſantibus . 73. pateſcunt etiam vel quantitatem , vel qualitatem , vel modum ; & quomodo . *ibid.*

quænam expoſcant remedia . *ibid.* & ſeq.

Morbi , quo ad modum , requirunt remedia , quæ cum morbo ipſo convenient ; & explicatur : quandoque tamen poſulant remedia contraria ; ſed tunc referendi ſunt ad morbos qualitatis . 74.

Morbi acuti varias habent durationes , pro quarum varietate varia fortiuntur nomina . 63. ſefe extendentes ad quadrageſimam dicuntur acuti ex decidentia , ſeu ex permutatione ; & quare . *ibid.* non raro obſervantur vigefimam primam prætergredientes , & quandoque quadrageſimam , ſine ulla in alium morbum mutatione ; & unde id eveniat . *ibid.* in quibus victum tenuem , & exquiſitum non convenire ait Hippocrates , non facile ſtatui poſſunt . 64. ſemper ſunt vel cum inflammatione , vel cum hujus proximo periculo , ipſo Hippocrate adſtipulante . 169.

Morbi peracuti tum exacte , tum non exacte , quinam ſint . 63. & ſeq. ſunt extremi . 78. quomodo intelligendi ſint habentes ſtatim extremos labores . *ibid.* & ſeq.

Morbi extremi , & remedia extrema periculo non carent . 76.

Morbi chronici quinam ſint . 63. quinamtales , ſeu longi ab Hippocrate dicantur , patet . 64.

Multiloquium quando habeatur , & quomodo tollendum . 12.

Multiplicatio Methodorum habetur propter diverſitatem argumentorum , & ingeniorum illas excipientium . 16.

Multiplicitas agendorum in Doctrina methodica ingenia illuſtrat , & ſecunda reddit . 18.

Munus præcipuum Proſitentium eſt inſervire commodo & utilitati Audientium ; cui quomodo ſatiſfiat . 17.

Munera Commentatorum quot , & quam ſint . 14.

N

Natura ab Hippocrate in Medico requiſita in quibus conſiſtat . 29.

Natura ſegnisiſ in ſuis criticis operibus a Medico eſt adjuvanda . 153.

Novationes faciendæ non ſunt , quando Natura integre morbos judicat , vel id agat per evacuationes , vel per abſceſus ſalutares ; & quare . 151.

O

Obfcuritas ex prægnantibus verbis quomodo ſit abjicienda . 11. non ſemper provenit a textu , ſed quandoque a legente ; & multipliciter ; & a quibus præcipue . 13.

- Observatio duplex est, & quænam. 36. utraque maxime fugax est, relate ad inventionem, non ad exercitium præctium; & quare. *ibid.*
- Observatio brutorum ægrotantium quomodo offendat veritatem Aphorismi octavi. 83.
- Observanda circa morbos præcipua. 46. quo ad tempus præcipua. *ibid.*
- Occasio Commentationum est obscuritas textus. 9.
- Occasio præceptis dupliciter intelligi potest; & quomodo. 36.
- Occasio observandi, relate ad Artis constitutionem, cur præceptis sit. 36. ex experimento in homine æque labilis est, ac illa experiendi. 57.
- Occasio experiendi relate ad Artis constitutionem cur sit præceptis. 36. in homine semel habita, difficilis est ut iterum habeatur; ideoque est præceptis. 37.
- Oratio figurata qualis sit. 10. duplicem habet significationem, propriam, & figuratam. *ibid.* transit sæpe in amphibologiam. *ibid.*
- Oratio concisa consistit in parca expressione propriæ sententiæ; & tripliciter fieri potest. 11.
- Ordo, & connexio Aphorismorum non requiritur, sed neque rejicitur. 20.

P

Paroxysmus, sive accessio, quomodo intelligendus sit in Aphorismo duodecimo. 100.

Pars ultima primi Aphorismi æque intelligi potest de Artis constitutione, ac de practico exercitio; nulla autem ratione de aliis Medicinæ acceptionibus. 37.

Pars postrema tertii Aphorismi quomodo intelligi debeat, quod contineat bina collaria a duabus primis deducta. 60.

Pars prima Aphorismorum septimi, & decimi, eadem videtur. 89.

Pars ultima decimi Aphorismi referri nequit ad primam ejusdem; & quare. 92.

Pars postrema Aphorismi vigesimi tertii perperam trahitur a Galeno, & post hunc a pluribus aliis Commentatoribus ad sanguinis missionem. 166. ipsa quoque intelligi debet de purgationibus faciendis. *ibid.*

Partitio cibi proposita in decimo septimo Aphorismo non refertur ad quantitatem absolutam cibi offerendi, sed ad peculiaritatem cujuslibet diei. 136. indicatur peculiariter a statu primarum viarum. 138.

Plebotomia sola remedium est undequaque respondens summæ plenitudini, & probabiliter ab Hippocrate intentum, etiam ab

eo non expressum, pro solutione habitus athleticæ; & quibus de rationibus. 58.

Phrasis inassueta sensum Auctoris reddit involutum, estque vel peregrina, vel obsoleta. 9.

Phrasis peregrina quando reddat sensum Auctoris involutum; & quemnam requirit Interpretem. 9.

Phrasis obsoleta unde originem trahat, & quemnam Interpretem exposcat. 9.

Præmeditatio ab Hippocrate exposita in Aphorismo vigesimo quarto quomodo intelligenda sit. 169. quo tendat. 171.

Præternaturalia possunt esse aut bona, aut mala; illa critica, hæc symptomatica, nuncupantur. 41.

Principia morbi quomodo intelligenda sint in Aphorismo vigesimo quarto. 169.

Probat in sententia Dominici Gulielmini, eos, qui crescent, plurimo indigere alimento, quo denegato, eorum corpus absumi. 118. & seq. senes paucio alimento indigere, & a multo extingui. 119.

Probat, nullum medicamentum cujuslibet generis, sive sit pharmaceuticum, sive chirurgicum, sive aliud naturæ, esse administrandum, quando crises per abscessum integræ contingunt. 151. & seq.

Prodeuntia sponte Naturæ quot, & quamnam sint. 42.

Prodeuntia vel per vomitum, vel per sedem, peculiari ratione dicuntur purgata. 42.

Prolixitas est maximum incommodum intrinsecum Doctrinæ methodicæ; & memoriam opprimit. 19. est unicum ejusdem vitium. *ibid.*

Propositio, quæ verior videbitur, inter repugnantes in locis disparatis, seligenda est, & præferenda. 12.

Purgatio quamnam intelligenda sit cum Hippocrate. 41. in quibus differat a naturali egestionem. *ibid.* præternaturaliter sit, & tamen sponte Naturæ accidere potest, *ibid.* præternaturalis, & sponte Naturæ accidens quomodo discriminetur inter se. *ibid.* improprie dicitur de egestionem utilium, & indifferentium. 42.

Purgatio, & qualibet alia peculiarium humorum evacuatio idonea non est ad faciendam solutionem habitus plethorici; & cur. 56.

Purgata quemnam proprie dicantur. 42. quemnam dicenda sint. *ibid.*

Q

Quæ comprehenduntur ultima primi Aphorismi parte plurimum faciunt ad Artis constitutionem; & probatur. 37. & seq.

Quæ proponuntur ab Auctoribus ad explicanda morborum tempora, competunt solum morbis humoralibus. 83.

Quæ moventur, Natura integre morbum iudicante, sive id præster: evacuationibus, sive abscesum salutarem conquirendo, semper in malum cedunt; & quare. 151.

Quæ morbos acutos procreant cuius naturæ sint. 109. & seq.

Quanam præstanda sint a distinguente competentum Auctoris. exponendi sensum, ab incomperito. 14.

Quanam requirantur in observatore, ut regulas medicas. figurare ex observationibus possit. 48.

Quanam mala Athletis immincant ex Galeno. 52.

Quenam sequantur ob nimiam sanguinei crassamenti educationem; & quot mala inde oboriri possint. 59.

Quanam eveniant ob nimiam sanguinis accelerationem; quorque inde consequi possint morbi. 59. & seq.

Quantitas varia assumpti cibi varios parit sanguineæ reparationis gradus. 64.

Quantitas morbi intelligi potest extensa, & intensa; & utraque ad quanam pertinet. 74.

Quid intelligi debeat verbis Aphorismi decimi septimi. & quibus plura ne, an pauciora particulatim. 136.

Quinam locus feligendus sit a Medico pro adjuvanda Natura segni in criticis suis evacuationibus. 154.

Quomodo cognosci possit quando expedit ducere usque ad animi defectionem. 166.

Quot, & quanam necessaria sint ad recte intelligendam Doctrinam de diætandi ratione exponitur, per partes percurrendo Aphorismos ad eam spectantes in prima sectione comprehensos. 27.

Quot, & quanam requirantur ad Artis constitutionem. 35.

Quot, & quanam Medicus debeat animadvertere pro experimento tuto in homine instituendo. 37.

R

Ratio vera indicatur, cur pauci occurrant legitimi Commentatores Hippocratis. 115. 25.

Ratio physica adducitur ad ostendendam veritatem Aphorismi octavi. 83., & seq.

Ratio ab Hippocrate adducta in Aphorismo undecimo, quomodo intelligenda sit. 97.

Ratio adducitur, ob quam pueri, & victu humido uti assueti inducantur ab Hippocrate in Aphorismo decimo sexto. 133.

Rationes nonnullæ adducuntur dissensus In-

terpretum in mente Hippocratis explicanda. 25.

Ratiocinium facile potest persuadere contrarium veritati octavi Aphorismi; & quare. 83.

Regiones, & ætates cur in purgatione sint animadvertendæ. 47.

Regula generalis diætandorum ægrorum ab Hippocrate tradita in septimo Aphorismo, quanam sit. 79.

Regulæ recentur de diætandis ægris ab Hippocrate propositæ in quarto Aphorismo. 67., & seq.

Regulæ quatuor deducuntur ex hippocraticis præceptis, spectantes ad ægrorum diætam; quanam sint, & quas afferant utilitates. 92., & seq.

Remedium pro tollendâ amphibologia, seu oratione figurata, quibus obtineatur. 11.

Remedium extremum quodnam sit. 75.

Remedia amphibologiæ, & figuratæ orationis sunt communia. 10.

Remedia quotuplicem proportionem morbo habere debeant; & quanam. 73.

Remedia quammam proportionem morbo habere debeant quo ad rem, & essentiam. 73.

Remedia alterantia debent opponi morbo quo ad qualitatem. 73.

Remedia evacuantia, & rescipientia debent convenire cum morbo quo ad qualitatem. 73., & seq.

Remedia morbo quantitatis eam proportionem habere debent, ut cum morbo conveniant. 74.

Remedia plura extrema possunt convenire eidem morbo extremo. 75.

Requisita ad acquirendam experientiam difficillima sunt, & diutissimum exposcunt tempus. 36.

S

Sanguis animalium causas habet sui destructivas indefinenter agentes; ideoque, nisi reparetur, minuitur. 65.

Scarificationes sine incisione in suo effectu conveniunt cum frictionibus; sed validius agunt. 57. non faciunt ad solam plenitudinem tollendam. *ibid.*

Scarificationes cum incisione sunt quidem remedium aptum ad plethoram tollendam, sed per se non adæquatam; & cur. 58.

Scientiæ sunt habitus, non actus. 18.

Scopus ultimus medicarum expositionum est sensuum intelligentiæ, estque duplex, & quinam. 13.

Scriptor, aut Professor methodum eligere debet suæ intentioni accommodatissimam. 17.

Sententia decimi Aphorismi brevi, & dilucide explicatur. 91.

Sententia decimi tertii Aphorismi quomodo intelligenda fit. 109.
 Sententia de calido innato Antiquorum breviter exponitur. 114., & seq. Dominici Guilielmi paucis perstringitur. 115., & seq.
 Signum hippocraticum indicans solam humorum plenitudinem, quodnam fit. 51.
 Signa bonæ, aut malæ purgationis docentur ab Hippocrate; & quænam sint. 42.
 Signa ab Hippocrate adducta pro æstimanda bona purgatione ad prægressam notionem purgatorum relata, non modo omnibus comperta non sunt, immo ea sola sunt, quæ omnem æquocationem tollunt, in æstimandis bonis, aut pravis eductis; & probatur. 42.
 Signa conferentiæ, & levis facilisque tolerantia adducta ab Hippocrate pro æstimanda bona purgatione, debent collectim sumi; & quare. 43.
 Signa ab Hippocrate adducta in secundo Aphorismo ad statuendam bonam, aut malam purgationem, extendi possunt etiam ad quamlibet spontaneam evacuationem, motumve criticum. 47.
 Somnus quid sit. 127. duplex est, naturalis, & præternaturalis. 128. naturalis quomodo inducatur. *ibid.* cur longissimus hyeme sit, & vere tum ineunte, tum vigent. *ibid.*, & seq.

T

Tempus requisitum ab Hippocrate in Medico longissimum est; & quare. 31.
 Tempus quotupliewer intelligi possit. 46.
 Tempora morborum quot; quænam sint; & quomodo intelligenda. 81. varia ratione a variis Medicorum sectis distinguuntur; & quomodo. 82. omnia observantur solum in ægrotis & morbo evadentibus. 83.
 Textus corruptus, & Lacunæ, quomodo corrigantur. 11.
 Theoria compendiosa adstruitur ad indicanda præcipua mala facile proventura a summa, & extrema plenitudine; eademque indicantur. 53., & seq.
 Tolerantia facilis & levis, etiamsi non totalis, sufficit in bona purgatione; quod recte ab Hippocrate cognitum fuit. 43.
 Tyrones non absterrentur a Doctrina aphoristica. 20.

V

Ver in quas dividatur partes. 123. quibus suis partibus conjugendum sit cum hyeme. *ibid.*
 Verbum *cogere* in Aphorismo decimo nono commodè refertur ad medicamenta, ægre ad alimenta. 146., & seq.

Verbum *movere* in Aphorismo vigesimo quid importet. 150.
 Verba, & conjunctiones deficientes in oratione concisa quomodo supplere debeant. 11.
 Verba Aphorismi decimi noni *sed. subtrahere adjectioni ante iudicationes*, aptius accommodantur medicamentis, quam cibis. 147.
 Verba vigesimi Aphorismi *sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sine*, referenda sunt ad novationes; id quod explicatur. 151., & seq.
 Veritas Aphorismi debet inniti vel multis observationibus, vel rationibus evidentissimis. 20.
 Veritas Aphorismorum probata per sua vera, & intrinseca media, quænam pariat; & cur. 23.
 Veritas alicujus dicti tantum extenditur, quantum late patet ejus intrinseca causa, vel ratio. 28.
 Veritas octavi Aphorismi a quibus ostendatur. 83.
 Veritas Aphorismi decimi tertii universalis esse non potest; & quare. 111.
 Veritas Aphorismi decimi quinti ostenditur in sententia Dominici Guilielmi de calido innato. 123., & seq. quomodo intelligi debeat relate ad ver vigens. 126.
 Vescicatoria opportuna non sunt ad summam solvendam plenitudinem; & cur. 58.
 Vidus tres suscipit præcipuas differentias, & quasnam. 64.
 Vidus plenus augeat massam sanguineam. 64.
 Vidus mediocris sanguinem conservat in eodem fere statu, in quo erat antecedenter. 64.
 Vidus tenuis tres habet gradus, qui explicantur. 64. minuit quantitatem sanguinis magis, minusve, pro vario suæ tenuitatis gradu. *ibid.* in morbi vigore instituentibus diversos obtinere potest gradus; & quomodo. 92.
 Vidus tenuis simpliciter nullum affert detrimentum, immo maximæ utilitatis est in morborum curationibus. 66.
 Vidus tenuis, & exquisitus ab Hippocrate enuntiatum in quinto Aphorismo, varia ratione intelligendus est pro varia Aphorismi parte; & quomodo in prima intelligendus sit, quomodo in secunda. 70.
 Vidus constitutus qualis intelligendus sit. 71.
 Vidus tenuissimus, sive exacte tenuis quomodo sit. 65. est remedium tum præservativum, tum curativum morborum humorisum; quod ostenditur. 84.
 Vidus extreme tenuissimus quomodo conveniat morbis extreme peracutis. 79.
 Vidus humidus qualis sit. 132. quæ ratione, quibusque de causis Febricitantibus conferat. *ibid.* quomodo intelligendus sit Febricitantibus.

bricitantibus omnibus conferre. 133. in illis, qui primario ex febre non laborant, sed vel secundario, vel per accidens, quandoque non est usurpandus. *ibid.*

Vires ægri comparanda semper sunt cum illis morbi; & quomodo. 86. Hippocratica conjectura respicienda, sunt vitales. 87. naturales, & animales quandoque respici merentur. *ibid.*, & *seq.*

Vita est brevis solum relative; & cur 35. dicitur brevis relate ad Artis longitudinem. *ibid.*

Vitia recensentur nonnulla Commentatorum, & improbantur. 14.

Vitia sanguinis generice quot sint. 50.

Unitas Aphorismi servanda est. 38.

Vomitus quid sit, & unde proveniat. 41. præternaturaliter sit, & tamen sponte Naturæ accidere potest, *ibid.*

Vomitus præternaturales, & sponte Naturæ accidentes, quomodo discriminentur inter se. 41.

Vox *Aphorismus* quid significet. 8.

Voces Hippocratis obsoletæ explanatæ sunt ab Erotiano, Eustachio, & Galeno. 9.

Usus, & consuetudo Methodi inseruit inventioni, & expositioni Scientiarum. 18.

Utilitas nulla promanat ab Aphorismo falso, particulari, & versante circa inutilia, vel accidentalia. 20.

LAUS DEO.

Nescio quo fato Operum, ni brevissima sint, impressiones erroribus obnoxia sunt; adeo ut difficile, & fere dixerim, impossibile videatur, nullum occurrere, quantalibet diligentia, ne accidant, adhibeatur. Eidem infortunio hæc ipsa subjecta fuit. Rogaris itaque, Lector humanissime, ut quæ posteriora irreperunt menda, qua infra videbis ratione emendes. Si præter animadversa, alia & ut spero, leviora ex inconsiderantia elapsa repereris, præ tua humanitate & liberaliter condonare, & opportune corrigere ne dedigneris, te oratum esse non dubitanter tibi persuadeo. Jamvero

pag.	7.	lin.	1	Errores	sic	corrigere
16.		40	18	publico	publico	publico
			18	caracter	caracter	caracter
			18	inhianti	inhianti	inhianti
29.		39	23	immediate	immediate	immediate
			23, & 24.	unum potius, ac	unum, potius quam	unum, potius quam
40. in Expos.		7	7	modus	modus	modus
57. Colum.	1.	15	15	five	five	five
61.	2.	15	15	thesis	thesis	thesis
69. in Expos.		19	19	vertente.	vertenti	vertenti
96. Colum.	2.	6	6	quidquam	quidpiam	quidpiam
99. in Expos.		43	43	potulentorum	potulentorum	potulentorum
118. Colum.	1.	6	6	causaram	causarum	causarum
135. in Expos.		3	3	dixerat ad	dixerat, ad	dixerat, ad
148.		10	10	debet vel	debet, vel	debet, vel
160. Colum.	2.	19	19	multitudinæ	multitudine	multitudine
163. in Expos.		8	8	fecunda	fecunda	fecunda
165. Colum.	1.					

Vidit D. Aurelius Cassenea Cleric. Regul. S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitanâ Bononiæ Pœnitentiarius pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiscopo Bononiæ.

Die 12. Maji 1748.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Joannem Mariam Santini Philosophiæ, & Medicinæ Doctorem, ut videat pro S. Officio, & referat.

Fr. Thomas Maria de Angelis Inquisitor Generalis S. Officii Bononiæ.

Die 20. Maji 1748.

Reverendissimi Patris mandata adimplens, hæc celeberrimorum nostrorum Dominici Gulielmini Parentis, & Josephi Ferdinandi Filii Commentaria in primam Aphorismorum Hippocratis Sectionem perlegi, & cum nihil contra bonos mores, & fidem catholicam invenerim, sed omnia multa doctrina, ac claritate explicata, ideo Typis mitto censeo, dummodo Reverendissimo Patri videatur &c.

Joannes Maria Santini Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, ac Sanctissimæ Inquisitionis Revisor &c.

Die 25. Maji 1748.

Stante præmissa attestatione.

IMPRIMATUR.

Fr. Seraphinus Maria Maccarinelli Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.